
COMES RUSTICUS EX OPTIMIS LATINAE LINGUAE...




ONALE
VITT. EMANUELE
2
K
2



COMES RUSTICUS

EX

OPTIMIS LATINÆ

LINGUÆ SCRIPTORIBUS

EXCERPTUS.







PARISIIS,

M. DC. XCII.

SI quis non bene intelligit, quàm lætum, quàm utile ſit agri colendi ſtudium, conſulat in hoc libello magiſtros bene beatéque vivendi, ac viros illos qui Conſules rem Romanam armis, conſiliiſque, & Agricolæ rem domeſticam diligentiâ, parcimoniâque auxerunt. Faciat horum virorum continentia ut temporum noſtrorum luxuries corrigatur. Suadeant hæc exempla vitam frugi, dulce otium, honeſtum negotium, & modeſtam voluptatem. Experiatur quilibet in rebus ruſticis, quod ipſum juvet. Si locupletior, quàm jucundum ſumptus facere in hortis ornandis: ſi indigentior, non facilius probam pauperiem tolerari, & rem tenuem au-

geri quàm victu & copiâ ruris. Fessus negotiis? Non suavius salubriusque animum reficiet quàm agrorum amœnitate. Liber & vacuus? Tædium atque inertiam opere & industriâ agresti vitabit. Sit denique in agriculturâ quædam Philosophia, quæ doceat veram pietatem, morum innocentiam & bonam mentem. Quisquis hæc non novit, aut non vult, non legat hunc libellum, & suæ det pœnas imprudentiæ.

TERENTIUS.

EUNUCH. Act. V. Scen. VI.

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neq; agri, neq; urbis odium me unquã percipit.
Ubi ſatias cœpit fieri, commuto locum.



COMES RUSTICUS.

M. Cato. *de re rustica.*



RÆDIUM quum parare cogitabis, sic in animo habeto, uti ne cupide emas, neve opera tua parcas visere, & ne satis habeas semel circumire. Quoties ibis, toties magis placebit, quod bonum erit. Vicini quo pacto niteant, id animum advertito. In bona regione bene nitere oportebit, & uti eo cum introeas, circumspicias, uti inde exiri possit, uti bo-

num cœlum habeat, ne calamitosum ſiet. Solo bono, ſuâ virtute valeat. Si poteris, ſub radice montis ſiet, in meridiem ſpectet, loco ſalubri, operariorum copia ſiet, bonumque aquarium, opidum validum propè ſiet, aut mare, aut amnis, quâ naves ambulant, aut via bona, celebriſque. Siet in iis agris, qui non ſæpè dominos mutant, qui in his agris prædia vendiderint, quos pigeat vendidiſſe, uti benè ædificatum ſiet. De domino bono colono, bonoque ædificatore meliùs emetur.

Paterfamilias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem ſalutavit, fundum eodem die, ſi poteſt, circumeat: ſi non eo die, at poſtridie. Ubi cognovit quomodo fundus cultus ſiet, operàque quæ facta infectàque ſient, poſtridie ejus diei villicum vocet, roget quid operis ſiet factum, quid reſtet, ſatiſne tempori opera ſient confecta, poſſitne quæ reliqua

ſient conficere, & quid factum vini, frumenti, aliarumque rerum omnium. Patremfamilias vendacem, non emacem eſſe oportet.

Prima adoleſcentia Patremfamiliæ agrum ſtatim conſerere ſtudere oportet, ædificare diù cogitare oportet; conſerere cogitare non oportet, ſed facere oportet. Ubi ætas acceſſit ad annos triginta ſex, tùm ædificare oportet, ſi agrum conſitum habeas. Ita ædifices, ne villa fundum quæreat, nève fundus villam. Patremfamiliæ villam ruſticam benè ædificatam habere expedit.

Villam ſuburbanam pro copia ædificato. In bono prædio ſi benè ædificaveris, benèque poſueris: ruri ſi rectè habitaveris, libentiùs & ſæpiùs venies, fundus melior erit, minúſque peccabitur, fructi plus capies. Frons occipitio prior eſt. Vicinis bonus eſto. Familiam ne ſiveris peccare. Si te vicinitas libenter vide-

bit, faciliùs tua vendes, operas faciliùs locabis, operarios faciliùs conduces. Si ædificabis, operis jumentis, materia juvabunt.

Opera omnia maturè conficias face; nam res rustica sic est, si unam rem serò feceris, omnia opera serò facies.

M. VARRO. *de re rusticâ, lib.* I.

UTilissimus autem is ager qui salubrior est, quàm alii, quòd ibi fructus certus. Contraque in pestilenti, calamitas, quamvis in feraci agro, colonum ad fructus pervenire non patitur. Etenim ubi ratio cum orco habetur, ibi non modo fructus est incertus, sed etiam colentium vita. Quare ubi salubritas non est, cultura non aliud est quàm alea domini vitæ, ac rei familiaris.

Quod permagni interest, ubi sint positæ villæ, quantæ sint, quo spectent, porticibus, ostiis ac fenestris.

Fructuosior est certè fundus propter ædificia, si potiùs ad antiquorum diligentiam, quam ad horum luxuriam dirigas ædificationem. Illi enim faciebant ad fructuum rationem, hi faciunt ad libidines indomitas. Itaque illorum villæ rusticæ erant majores quam urbanæ, quæ nunc sunt pleræque, contra, illic laudabatur villa, si habebat culinam rusticam bonam, præsepias laxas, cellam vinariam & oleariam admodum agri aptam.

Lib. II.

Viri nostri majores non sine causa præponebant rusticos Romanos urbanis, ut ruri enim, qui in villa vivunt ignaviores, quam qui in agro versantur in aliquo opere faciundo: sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent desidiores putabant. Itaque annum ita diviserunt, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis septem ut rura co-

lerent. Quod dum ſervaverunt inſtitutum, utrumque conſecuti ſunt, ut & cultura agros fœcundiſſimos haberent, & ipſi valetudine firmiores eſſent.

COLUMELLA *de re ruſticâ*. lib. 1.

ATqui ego ſatis mirari non poſſum, quid ita dicendi cupidi ſeligant oratorem, cujus imitentur eloquentiam, menſurarum, & numerorum modum rimantes, placitæ diſciplinæ conſectentur magiſtrum vocis & cantus modulatorem: Nec minùs corporis geſticulatorem ſcrupuloſiſſimè requirant ſaltationis ac muſicæ rationis ſtudioſi. Jàmque qui ædificare velint, fabros & architectos advocent: qui navigia mari concredere, gubernandi peritos: qui bella moliri, armorum & militiæ gnaros: & ne ſingula perſequar, ei ſtudio, quod quis agere velit, con-

ſultiſſimum rectorem adhibeat. Denique animi ſibi quiſque formatorem, præceptoremque virtutis è cœtû ſapientium arceſſat: ſola res ruſtica, quæ ſine dubitatione proxima, & quaſi conſanguinea ſapientiæ eſt, tam diſcentibus egeat, quam magiſtris.

Verum cum pluribus monumentis ſcriptorum admonear, apud antiquos noſtros fuiſſe gloriæ curam ruſticationis: ex qua Quintius Cincinnatus obſeſſi Conſulis & exercitus liberator, ab aratro vocatus ad dictaturam venerit, ac rurſus faſcibus depoſitis, quos feſtinantiùs victor reddiderat, quam ſumpſerat Imperator, ad eoſdem juvencos, & quatuor jugerum avitum hærediolum redierit. Itemque C. Fabricius & Curius Dentatus, alter Pyrrho finibus Italiæ pulſo, domitis alter Sabinis, accepta quæ viritim dividebantur captivi agri, ſeptem jugera, non minùs induſtriæ coluerit, quam

fortiter armis quæsierat. Et ne singulos intempestivè nunc persequar, cum tot alios Romani generis intuear memorabiles duces, hoc semper duplici studio floruisse, vel defendendi, vel colendi patrios, quæsitosque fines.

Qui studium agricolationi dederit, antiquissima sciat hæc sibi advocanda, prudentiam rei, facultatem impendendi, voluntatem agendi. Nam is demum cultissimum rus habebit, qui & colere sciet & poterit & volet. Neque enim scire, aut velle, cuiquam satis fuerit sine sumptibus, quos exigunt opera. Nec rursus faciendi aut impendendi voluntas profuerit sine arte: quia caput est in omni negotio, nosse quid agendum sit, maximèque in agricultura, in qua voluntas facultasque citrá scientiam sæpè magnam dominis afferunt jacturam, cum imprudenter facta opera frustrantur impensas. Itaque diligens

paterfamilias, cui cordi eſt ex agri cultu certam ſequi rationem rei familiaris augendæ, maximè curabit, ut ætatis ſuæ prudentiſſimos agricolas de quaque re conſulat, & commentarios antiquorum ſedulo ſcrutetur, atque æſtimet quid eorum quiſque ſenſerit, quid præceperit: an univerſa quæ majores prodiderunt, hujus temporis culturæ reſpondeant, an aliqua diſſonent.

Nunc quoniam pleròſque noſtrûm civilis ambitio ſæpè evocat, ac ſæpiùs detinet evocatos, ſequitur ut ſuburbanum prædium commodiſſimum eſſe putem, quo ut occupato quotidianus excurſus facilè poſt negotia fori contingat. Nam qui longinqua, ne dicam tranſmarina rura mercantur, velut hæredibus patrimonio ſuo, & quod graviùs eſt, vivi cedunt ſervis ſuis.

Lib. II.

Non igitur fatigatione, quemad-

modum plurimi crediderunt, nec senio, sed noſtra ſcilicet inertia minùs benignè nobis arva reſpondent.

Lib. x.

Supereſt ergo cultus hortorum inſigniter neglectus quondam veteribus agricolis, nunc vel celeberrimus. Si quidem cum parcior apud priſcos eſſet frugalitas, largior tamen pauperibus fuit uſus epularum, lactis copia, ferinàque ac domeſticarum pecudum carne, velut aqua, frumentóque ſummis atque humillimis victum tollerantibus. Mox cùm ſequens, & præcipuè noſtra ætas dapibus libidinoſis prætia conſtituerit, cœnæque non naturalibus deſideriis, ſed cenſibus æſtimentur, plebeia paupertas ſummota à prætioſioribus cibis ad vulgares compellitur. Quare cultus hortorum, quoniam & fructus magis in uſu eſt, diligentiùs nobis, quám tradiderunt majores, præcipiendus eſt.

CICERO *de senectute.*

VEnio nunc ad voluptates agricolarum quibus ego incredibiliter delector, quæ nec ulla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitam proximè videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ numquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit quod accepit: sed aliás minore, plerumque majore cum fœnore. Quamquam me quidem non fructus modò, sed etiam ipsius terræ vis, ac natura delectat: quæ cum gremio mollito, ác subacto semen sparsum excepit, primum id occæcatum cohibet; ex quo occatio (quæ hoc efficit) nominata est: deinde tepefactum vapore, & compressu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris stirpium, sensim adolescit, culmoque erecta

geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur, è quibus cum emerserit, fundit frugem spici, ordine structam, & contra avium minorum morsum munitur vallo aristarum. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa, commemorem? Satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requietem, oblectamentumque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur è terra: quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum, ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos, ramosque procreat: malleoli, plantæ, sarmenta, vivi radices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis non sine admiratione delectent? Vitis quidem quæ natura caduca est, & nisi fulta sit, ad terram fertur; eadem, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam serpentem mul-

tiplici lapſu & erratico, ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta ſunt, exſiſtit tanquam ad articulos ſarmentorum ea, quæ gemma dicitur: à quâ oriens uva ſe ſe oſtendit: quæ & ſucco terræ, & calore ſolis augeſcens primo eſt peracerba guſtatu, deinde maturata dulceſcit, veſtitaque pampinis, nec modico tepore caret, & nimios ſolis defendit ardores, qua quid poteſt eſſe cum fructu lætius, tum aſpectu pulchrius? Cujus quidem non utilitas me ſolum, ut ante dixi, ſed etiam cultura, & ipſa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio & propagatio vitium; ſarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immiſſio. Quid ego irrigationes? Quid foſſiones agri, repaſtinationeſque proferam, qui-

bus ſit multo terra fœcundior? Quid de utilitate loquar ſtercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus ruſticis ſcripſi: de qua doctus Heſiodus ne verbum quidem fecit, cùm de cultura agri ſcriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante ſæculis fuit, Laërtem lenientem deſiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum ſtercorantem facit. Nec verò ſegetibus ſolùm, & pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt. Sed etiam hortis & pomariis: tum pecudum paſtu, apum examinibus, florum omnium varietate. Nec conſitiones modò delectant, ſed etiam inſitiones: quibus nihil invenit agricultura ſollertius. Poſſum perſequi multa oblectamenta rerum ruſticarum: ſed ea ipſa, quæ dixi fuiſſe ſentio longiora. Ignoſcetis autem: nam & ſtudio rerum ruſticarum provectus ſum, & ſenectus eſt natura loquacior: ne

ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M. Curius, cùm de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum ætatis tempus: cujus quidem villam contemplans (abeſt enim non longè à me) admirari ſatis non poſſum vel hominis ipſius continentiam, vel temporum diſciplinam. Curio ad focum ſedenti, magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. *Non enim aurum habere, præclarum ſibi videri*, dixit, *ſed iis qui haberent aurum imperare.* Poteratne tantus animus non jucundam efficere ſenectutem? Sed venio ad agricolas, ne à me ipſo recedam. In agris erant tum Senatores, id eſt, Senes. Si quidem aranti L. Quinctio Cincinnato nunciatum eſt, eum dictatorem eſſe factum: cujus dictatoris juſſu magiſter Equitum C. Servilius Ahala Sp. Mælium regnum ap-

petentem occupatum interemit. A villa in Senatum accerſebantur & Curius & cæteri ſenes: ex quo, qui eos accerſebant, viatores nominati ſunt. Num igitur eorum ſenectus, miſerabilis fuit, qui ſe agricultione oblectabant? Mea quidem ſententia haud ſcio, an ulla beatior eſſe poſſit; neque ſolùm officio, quod hominum generi univerſo cultura agrorum eſt ſalutaris: ſed & delectatione, quam dixi, & ſaturitate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam deſiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni, aſſiduique domini referta cælla vinaria, olearia, etiam penaria eſt, villaque tota locuples eſt: abundat porco, hædo, agno, gallinâ, lacte, caſeo, melle. Jam hortum ipſi agricolæ ſuccidiam alteram appellant: tum conditiora facit hæc, ſupervacanei

ſupervacanei etiam operis, aucupium, atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumque ſpecie dicam? Brevi præcidam. Agro bene culto nil poteſt eſſe, nec uſu uberius, nec ſpecie ornatius: ad quem fruendum non modò non retardat, verum etiam invitat, atque alleĉtat ſeneĉtus. Ubi enim poteſt illa ætas, aut caleſcere vel apricatione meliùs, vel igni: aut viciſſim umbris, aquiſve refrigerari ſalubrius? Sibi igitur habeant arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clavam, ſibi pilam, ſibi nationes & curſus: nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant & teſſeras: id ipſum, utrum lubebit: quoniam ſine his beata eſſe ſeneĉtus poteſt. Multas ad res, perutiles Xenophontis libri ſunt. Quos legite, quæſo, ſtudiosè ut facitis; quám copiosè ab eo agricultura laudatur in eo libro,

qui eſt de tuenda re familiari, qui œconomicus inſcribitur? Atque ut intelligatis nihil ei tam regale videri, quam ſtudium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem regem Perſarum, præſtantem ingenio, atque imperii gloria, cùm Lyſander Lacedemonius, vir ſummæ virtutis, veniſſet ad eum Sardis, eique dona à ſociis attuliſſet: & cæteris in rebus comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſœptum agrum, diligenter conſitùm oſtendiſſe. Cùm autem admiraretur Lyſander, & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuavitatem odorum, qui afflarentur è floribus: tum dixiſſe mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſollertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe: *Atqui ego omnia iſta*

ſum dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio; multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram, & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro, multiſq; gemmis, dixiſſe: *Ritè verò te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt.* Hac igitur fortunâ frui licet ſenibus: nec ætas impedit, quò minus & cæterarum rerum, & imprimis agri colendi ſtudia teneamus uſque ad ultimum tempus ſenectutis. Marcum quidem Valerium Corvinum accepimus ad centeſimum annum perduxiſſe, cum eſſet actâ jam ætate in agris, eoſque coleret: cujus inter primum & ſextum conſulatum, ſex & quadraginta anni interfuerunt.

Offic. lib. I.

Omnium autem rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dul-

cius, nihil homine, nihil libero dignius.

Orat. pro Roscio Amerino.

Etenim, qui præesse agro colendo flagitium putes, profectò illum Atilium, quem suâ manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At herculè majores nostri longè aliter & de illo, & de cæteris talibus viris existimaban t. Itaque ex minimâ, tenuissimâque Republicâ maximam & florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiosè colebant: non alienos cupidè appetebant: quibus rebus, & agris, & urbibus, & nationibus Rempublicam atque hoc Imperium, & populi Romani nomen auxerunt. Neque ego hæc eò profero, quo conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quærimus: Sed ut illud intelligatur, cùm apud Majores nostros summi viri, clarissimique

homines, qui omni tempore ad gubernacula Reipublicæ ſedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operæ, temporiſque conſumpſerint.

Prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam poterat eſſe, in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horridâ incultâq; vitâ iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vitâ naſcitur. In urbe luxuries creatur: ex luxuriâ exiſtat avaritia neceſſe eſt: ex avaritiâ erumpat audacia: inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parcimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt.

Epiſt. I. *lib.* III. *ad Q. Frat.*

Ea villa, quæ nunc eſt, tanquam Philoſophia videtur eſſe, quæ objurget cæterarum villarum inſaniam.



VIRGILII GEORGICON.

QUid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terrã
Vertere, Mœcenas, ulmiſq; adjungere vites
Conveniat: quæ cura boũ, qui cultus habẽdo
Sit pecori, atq; apib⁹ quanta experiẽtia parcis,
Hinc canere incipiam & veterum præcepta referre,
Si te digna manet divini gloria ruris,
Ni refugis, tenueſq; piget cognoſcere curas.
Ventos, & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultúſq; habitúſq; locorũ,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Hîc ſegetes, illîc veniunt fœliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi atque injuſſa vireſcunt
Gramina: & has leges, æternáq; fœdera certis

Impoſuit natura locis: Pater ipſe colendi
Haud facilē eſſe viā voluit, primuſq; per artē
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.
Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni,
Nec ſignare quidem aut partiri limite campū
Fas erat: in medium quærebant, ipſaq; tellus
Omnia liberiùs nullo poſcente ferebat.
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædaríque lupos juſſit, pontúmq; moveri,
Melláque decuſſit foliis, ignemq; removit
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit,
Ut varias uſus meditando extunderet artes
Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbā,
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tum variæ venêre artes. Labor omnia vicit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit: cum jam glandes atq; arbuta ſacræ
Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.
. . . . ergo age terræ
Pingue ſolũ primis ex templo à menſib⁹ anni
Fortes invertant tauri: glebàſque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas.
Vere novo, gelid⁹ canis cum montib⁹ humor
Liquitur, & zephyro putris ſe gleba reſolvit;
Depreſſo incipiat jam tùm mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attrit⁹ ſplendeſcere vomer.
Illa ſeges demùm votis reſpondet avari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit:
Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.
Quod niſi & aſſiduis terrã inſectabere raſtris,
Et ſonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbras, votiſq; vocaveris imbrem:

Heu magnum, alterius frustrà spectabis a-
cervum;
Concussâq; famem in silvis solabere quercu.
At si non fuerit tellus fœcunda; sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illîc, officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hîc, sterilẽ exiguus ne deserat humor arenã.
Alternis idem tonsas cessare novales,
Et segnem patiêre situ durescere campum.
Aut ibi flava seres mutato sidere farra,
Unde prius lætum siliqua quassante legumen,
Aut tenuis fœtus viciæ, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos, silvàmq; sonantẽ.
Urit enim lini campum seges, urit avenæ:
Urunt lethæo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantũ
Ne saturare fimo pingui pudeat sola; neve

Effœtos cinerē immundū jactare per agros.
Sic quoq; mutatis requiescunt fœtibus arva.
Nec nulla intereà est inaratæ gratia terræ.
Sæpè etiam steriles incendere profuit agros,
Atq; levē stipulā crepitātibus urere flammis:
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt: sive illis omne per ignē
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis
humor:
Seu plures calor ille vias, & cœca relaxat
Spiramēta, novas veniat quâ succus in herbas:
Seu durat magis, & venas adstringit hiantes:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multū adeò, rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineàsq; trahit crates, juvat arva: neque
illum

Flava Ceres alto ne quicquā ſpectat Olympo.
Humida ſolſtitia atq; hiemes orate ſerenas
Agricolæ, hiberno lætiſſima pulvere farra.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus
    ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenerâ depaſcit in herbâ.
Semina vidi equidem multos medicare ſe-
    rentes,
Et nitro priùs & nigrâ perfundere amurcâ,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet,
Et, quamvis igni exiguo properata maderent.
Vidi lecta diù, & multo ſpectata labore
Degenerare tamen: ni vis humana quotānis
Maxima quæq; manu legeret: ſic omnia fatis
In pejus ruere, ac retrò ſublapſa referri.
Non aliter, quam qui adverſo vix flumine
    lembum

Remigiis ſubigit; ſi brachia forte remiſit,
Atq;illũ in præceps prono rapit alveus amni.
Libra die ſomníque pares ubi fecerit horas,
Et mediũ luci atq; umbris jam dividit orbẽ:
Exercete, viri, tauros; ſerite hordea campis,
Uſq; ſub extremũ brumæ intractabilis imbrẽ.
At ſi triticeam in meſſem robuſtaque farra
Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſſiàq; ardentis decedat ſtella coronæ,
Debita quã ſulcis committas ſemina, quàmq;
Invitæ properes anni ſpem credere terræ.
Multi ante occaſum Maiæ cœpere: ſed illos
Expectata ſeges vanis eluſit ariſtis.
At rubicunda Ceres medio ſucciditur æſtu,
Et medio totas æſtu terit area fruges.
Nudus ara, ſere nudus: hiems ignava colono.

Frigoribus parto agricolæ plerùmq; fruuntur,
Mutuàque inter ſe læti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curàſque reſolvit:
Tunc gruibus pedicas & retia ponere cervis,
Auritóſq; ſequi lepores: tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ,
Cum nix alta iacet, glaciẽ cũ flumina trudũt.
Et quidam ſeros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferróque faces inſpicat acuto.
Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto conjux percurrit pectine telas.
Quid tempeſtates Autumni & ſidera dicam?
Atq; ubi jam breviórq; dies, & mollior æſtas,
Quæ vigilanda viris, vel cum ruit imbrife-
rum Ver;
Spicea jam cãpis cum meſſis inhorruit, & cũ
Frumenta in viridi ſtipulâ lactentia turgent?

Sæpe ego, cum flavis messorẽ induceret arvis
Agricola, & fragili jam stringeret hordea
culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi:
Quæ gravidam latè segetem ab radicib⁹ imis
Sublimè expulsam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hiems, culmúmque levem stipulàsque
volantes.
Sæpe etiam immensum cœlo venit agmen
aquarum,
Et fœdã glomerant tempestatẽ imbrib⁹ atris
Collectæ ex alto nubes, ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti sata læta, boúmq; labores
Diluit. Implentur fossæ, & cava flumina
crescunt
Cum sonitu, fervétq; fretis spirantib⁹ æquor.
Ipse pater, mediâ nimborũ in nocte, corusca

Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor . . . . .
Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis
Æſtúſq; pluviàſq; & agentes frigora ventos,
Ipſe pater ſtatuit, quid mēſtrua luna moneret,
Quo ſigno caderēt auſtri: quid ſæpè videntes
Agricolæ, propiùs ſtabulis armenta tenerent.
Continuo ventis ſurgentibus aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor: aut reſonantia longè
Littora miſceri, & nemorum increbreſcere murmur.
Jam ſibi tum à curvis male temperat unda carinis,
Cum medio celeres revolāt ex æquore mergi,
Clamorémq; ferunt ad littora: cúmq; marinæ

In ſicco ludunt fulicæ : notaſque paludes
Deſerit, atq; altam ſupra volat ardea nubem.
Sæpè etiam ſtellas, vento impedente, videbis
Præcipites cælo labi, noctiſq; per umbram
Flammarũ longos à tergo albeſcere tractus :
Sæpè levẽ paleã & frondes volitare caducas,
Aut ſumma nantes in aqua conludere plumas.
At Boreæ de parte trucis cum fulminat, & cũ
Euríq; zephyríq; tonat domus; omnia plenis
Rura natant foſſis, atque omnis navita ponto
Humida vela legunt. Nunquam imprudentibus imber
Obfuit. Aut illum ſurgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues : aut bucula cælum
Suſpiciens patulis captavit naribus auras :
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo :
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Sæpiùs

Sæpiùs & tectis penetralibus extulit ova
Angustũ formica terens iter, & bibit ingens
Arcus: & è pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, & quæ Asia circũ
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in
undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plenâ pluviam vocat improba
voce,
Et sola in siccâ secum spatiatur arenâ.
Nec nocturna quidẽ carpentes pensa puellæ
Nescivêre hyemẽ: testâ cùm ardente viderẽt
Scintillare oleum, & putres concrescere
fungos.

Nec minus ex imbri ſoles & aperta ſerena
Proſpicere,& certis poteris cognoſcere ſignis.
Nam neque tum ſtellis acies obtuſa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia ſurgere luna;
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidũ ad ſolẽ pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Alcyones: non ore ſolutos
Immundi meminêre ſues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt:
Solis & occaſum ſervans de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.
Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacumque illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimic⁹ atrox magno ſtridore per auras,

Insequitur Nisus : qua se fert Nisus ad auras;
Illa levẽ fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces,
Aut quater ingeminãt : & sæpè cubilib⁹ altis,
Nescio quâ præter solitum dulcedine læti,
Inter se foliis strepitant. Juvat imbrib⁹ actis
Progeniem parvam, dulcésq; revisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit divinitùs illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major.
Verum, ubi tempestas & cæli mobilis humor
Mutavêre vias, & Juppiter uvidus austris
Densat, erant quæ rara modo &, quæ densa,
relaxat;
Vertuntur species animorũ, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiũt. Hinc ille aviũ concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.

Si verò ſolem ad rapidum lunaſque ſequentes
Ordine reſpicies; nunquam te craſtina falle
Hora, neque inſidiis noctis capiere ſerenæ.
Hinc tempeſtates dubio prædiſcere cœlo
Poſſumus, hinc meſsíſque diem, tempúſque ſerendi.
Luna revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagóq; parabitur imber.
At, ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit. Vẽto ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto (námq; is certiſſimus auctor)
Pura, neque obtuſis per cœlum cornibus ibit;
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo
Exactũ ad menſem, pluviâ ventíſq; carebunt.
Sol quoque & exoriens, & cum ſe condet in undas,

Signa dabit. Solē certiſſima ſigna ſequuntur,
Et quæ manè refert, & quæ ſurgentib⁹ aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medióq; refugerit orbe;
Suſpecti tibi ſint imbres. Námq; urget ab alto
Arboribúſq; ſatíſque notus pecoríq; ſiniſter.
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſe ſe
Diverſi erumpent radii, aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu, malè tum mites defendet pampinus
uvas:
Tum multa in tectis crepitans ſalit horrida
grando.
Hoc etiā, emenſo cum jam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſè magis. Nam ſæpè
videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.

Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni;
Omnia tunc pariter vento nimbìſq; videbis
Fervere. Non illâ quiſquã me nocte per altũ
Ire, neque à terrâ moneat convellere funem.
At ſi, cum referetq; diem, condetq; relatũ,
Lucidus orbis erit, fruſtrà terrebere nimbis,
Et claro ſylvas cernes Aquilone moveri.
Deniq; quid veſper ſerus vehat, unde ſerenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus
Auſter,
Sol tibi ſigna dabit. Solem quis dicere falſum
Audeat?
In primis venerare Deos atq; annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis,
Extremæ ſub caſum hiemis, jam vere ſereno.
Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina:

Tunc ſomni dulces, denſæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret.
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho:
Térque novas circum fœlix eat hoſtia fruges;
Omnis quam chorus, & ſocii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quã Cereri, tortâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.
Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. Rivos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantúmq; gregem fluvio merſare ſalubri.

Sæpè oleo tardi coſtas agitator aſelli,
Vilibus aut onerat pomis: lapidémque revertens
Injuſſum aut atræ maſſâ picis urbe reportat.
Hactenus arvorum cultus, & ſidera cœli:
Nunc te Bacche canam, nec non ſilveſtria tecum
Virgulta & prolem tardæ creſcentis olivæ.
Principio arboribus varia eſt natura creandis.
Nàmq; aliæ, nullis hominum cogentib⁹, ipſæ
Sponte ſuâ veniũt, campóſq; & flumina latè
Curva tenent, ut molle ſiler, lentæq; geniſtæ,
Populus, & glaucâ canentia fronde ſalicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: ut altæ
Caſtaneæ, nemorúmque Jovi quæ maxima frondet
Æſculus, atq; habitæ Graiis oracula quercus.

Pullulat ab radice aliis densissima silva:
Ut cerasis, ulmisque: etiam Parnassia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbrâ.
Sunt aliæ, quas ipse vias sibi repperit usus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis; hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidásq; sudes, & acuto robore vallos:
Silvarúmque aliæ pressos propaginis arcus
Exspectant, & viva suâ plantaria terrâ.
Nil radicis egent aliæ: summúmq; putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Altior, ac penitùs terræ defigitur arbos
Æsculus in primis; quæ quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice ad tartara tendit.

Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.
Et ſæpè alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius, mutatámq; inſita mala
Ferre pirum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.
Quare agite ô, proprios generatim diſcite cultus,
Agricolæ, fructúſq; feros mollite colendo:
Sponte ſuâ quæ ſe tollunt in luminis oras,
Infœcunda quidem, ſed læta & fortia ſurgũt:
Quippè ſolo natura ſubeſt. Tamen hæc quoque ſi quis
Inſerat, aut ſcrobib⁹ mandet mutata ſubactis,
Exuerint ſylveſtrẽ animũ: cultuq; frequẽti,
In quaſcumque voces artes haud tarda ſequentur.

Necnon & ſterilis quæ ſtirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros:
Nunc altæ frondes & rami matris opacant:
Creſcentique adimunt fœtus, uruntque ferentem.
Jam quæ ſeminibus jactis ſe ſuſtulit, arbos
Tarda venit, ſeris factura nepotib⁹ umbram:
Pomaque degenerant ſuccos oblita priores:
Et turpes avibus prædam fert uva racemos.
Nec modus inſerere atque oculos imponere ſimplex.
Nam quâ ſe medio trudũt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas; anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc alienâ ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & altè
Finditur in ſolidũ cuneis via; deinde feraces

Plantæ immittuntur : nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis fœlicibus arbos,
Miraturq; novas frondes, & non ſua poma.
Nunc locus arvorũ ingeniis quæ robora cuiq;
Quis color & quæ ſit rebus natura ferendis.
At quæ pinguis humus, dulciq; uligine læta,
Quíque frequens herbis & fertilis ubere campus,
Quíque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit,
Ille tibi lætis intexet vitibus ulmos;
Ille ferax oleæ eſt, illum experiere colendo,
Et facilẽ pecori & patientem vomeris unci.
Salſa autem tellus & quæ perhibetur amara,
Frugibus infœlix, ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus aut pomis ſua nomina ſervat.

Nunc quo quamque modo poſſis cognoſcere
dicam
Rara ſit, an ſupra morem ſit denſa requiras,
Altera frumentis quoniam favet, altera Bac-
cho.
Denſa magis Cereri, rariſſima quæq; Lyæo.
At ſapor indicium faciet manifeſtus & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.
Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto
Diſcimus, haud unquã manib⁹ jactata fatiſcit,
Sed picis in morẽ ad digitos lenteſcit habẽdo.
Humida majores herbas alit, ipſaque juſto
Lætior, ah nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe prævalidam primis oſtendat ariſtis.
Collibus an plano meliùs ſit ponere vitem
Quære priùs. Si pinguis agros metabere
campi,

Densa fere; in denso non segnior ubere Bacchus:
Sin tumulis acclive solum, collésq; supinos;
Indulge ordinib⁹, nec secius omnis in unguē
Arboribus positis, secto via limite quadret.
Ut sæpè ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmē aperto,
Directæque acies ac latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, nec dùm horrida miscēt
Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarū;
Non animū modò uti pascat prospect⁹ inanē,
Sed quia non aliter vires dabit omnib⁹ æquas
Terra, neque in vacuū poterunt se extendere rami.
Optima vinetis satio, cum vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris;

Prima vel Autumni ſub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hyemem contingit equis, jam præterit Æſtas.
Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam exhauſti ſatis eſt. Namque omne quot annis
Terque quaterque ſolum ſcindendum, glebáque verſis
Æternũ frangenda bidentibus omne levandũ
Fronde nemus, redit agricolis labor actus in orbem,
Atq; in ſe ſe ſua per veſtigia volvitur annus.
Ac jam olim ſeras poſuit cum vinea frondes,
Frigidus & ſylvis Aquilo decuſſit honorem:
Jam tum acer curas venientem extendit in annum

Rusticus & curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitẽ attondens, fingitq; putando.
Primus humum fodito: primus devecta cremato
Sarmenta: & vallos primus sub tecta referto,
Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra.
Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ,
Durus uterque labor. Laudato ingentia rura;
Exiguum colito . . . . .
At dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris, & dum se lætus ad auras
Palmes agit laxis per purũ immissus habenis,
Ipsa acies nondum falcis tentanda, sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interq; legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde

Ante

Ante reformidant ferrum, tum deniq; dura
Exerce imperia, & ramos compeſce fluentes.
Ver adeò frondi nemorum, ver utile ſilvis.
Vere tumēt terræ,& genitalia ſemina poſcūt.
Tū Pater omnipotēs fœcūdis imbrib⁹ Æther
Conjugis in gremiū lætæ deſcendit, & omnes
Magn⁹ alit, magno cōmixtus corpore, fœtus.
Avia tùm reſonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager, zephyríq; tepētib⁹ auris
Laxant arva ſinus: ſuperat tener omnibus
humor;
Inque novos ſoles audent ſe gramina tuto
Credere: nec metuit ſurgentes pampinus
Auſtros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonib⁹ imbrē:
Sed trudit gēmas, & frondes explicat omnes.

Non alios primâ creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliúmve habuiſſe tenorem
Crediderim: ver illud erat: ver magnꝰ agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri.
Seu quis, Olympiacæ miratꝰ præmia palmæ,
Paſcit equos: ſeu quis fortes ad aratra juven-
cos;
Corpora præcipuè matrum legat. Optuma torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tũ longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiã, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo,
Aut juga detrectans; interdúmque aſpera cornu,

Et faciem tauro propior, quæq; ardua tota,
Et gradiens imâ verrit veſtigia caudâ.
Poſt partũ cura in vitulos traducitur omnis.
Tu quos ad ſtudium atque uſum formabis agreſtem,
Jam vitulos hortare, viamq; inſiſte domandi,
Dum faciles animi juvenũ, dũ mobilis ætas.
Uſque adeò à teneris aſſueſcere multum eſt.
Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeũt morbi, triſtiſq; ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis,
Semper erunt, quarũ mutari corpora malis;
Semper enim refice: ac, ne poſt amiſſa requiras,
Anteveni, & ſobolẽ armẽto ſortire quotãnis.
Nec non & pecori eſt idem delectus equino.
Tu modo, quos in ſpẽ ſtatuis ſũmittere gentis,

Præcipuũ jam inde à teneris impende laborẽ.
Continuò pecoris generosi pullus in arvis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viã, & fluvios tentare minaces
Audet & ignoto se se committere ponto:
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
Argutumq; caput, brevis alvus, obesaq; terga:
Luxuriatque toris animosum pectus . . . .
. . . Tùm, si qua sonũ procul arma dedere,
Stare loco nescit: micat aurib⁹, & tremit artus;
Collectúmq; premẽs volvit sub narib⁹ ignẽ:
Dẽsa juba, & dextro jactata recũbit in armo.
At duplex agitur per lumbos spina, cavátq;
Tellurẽ, & solido graviter sonat ungula cornu.
Prim⁹ equi labor est animos atq; arma videre
Bellantum, lituosq; pati, tractúq; gementem
Ferre rotã, & stabulo frænos audire sonantes.

Tũ magis atq; magis blãdis gaudere magiſtri
Laudibus,& plauſæ ſonitum cervicis amare.
Atq;hæc jam primo depulſus ab ubere matris
Audiat, inque vicem det mollib⁹ ora capiſtris
Invalid⁹,& jamq; tremens & jam inſcius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta acceſſerit ætas
Carpere mox gyrũ incipiat gradibúſq; ſonare
Compoſitis,ſinuetq; alterna volumina crurũ:
Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Provocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis
Æquora, vix ſummâ veſtigia ponat arenâ.
Sed non ulla magis vires induſtria firmat,
Quã Venerẽ & cæci ſtimulos avertere amoris,
Sive boum, ſive eſt cui gratior uſus equorũ:
Carpit enim vires paulatim, uritq; videndo
Fœmina, nec nemorum patitur meminiſſe, nec herbæ.

Omne adeò genus in terris hominumque, ferarumque,
Et genus æquoreũ, pecudes, pictæq; volucres
In furias ignẽq; ruunt: amor omnibus idem.
Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarũ.
Sed fugit intereà, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ
Lanigeros agitare greges, hirtaſque capellas:
Hîc labor, hinc laudẽ fortes ſperate coloni.
Denſior hinc ſoboles, hinc largi copia lactis.
Quam magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra;
Læta magis preſſis manabũt flumina mãmis.
At verò zephyris cum læta vocantibus æſtas;
In ſaltus utrúmq; gregẽ, atq; in paſcua mittes.
Luciferi primo cum ſidere frigida rura

Carpam⁹,dū mane novū,dū gramina canent,
Et ros in tenerâ pecori gratiſſimus herbâ eſt
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponet.
Si tibi lanicium curæ; primum aſpera ſylva,
Lappæq; tribulíq; abſint, fuge pabula læta:
Continuóq; greges villis lege mollibus albos.
At cui lactis amor, Cythiſū, lotóſq; frequentes,
Ipſe manu ſalſáſque ferat præſepibus herbas.
Hinc & amant fluvios magis & magis ubera tendunt;
Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.
Nec tibi cura canum fuerit poſtrema, ſed unà
Veloces Sparthæ catulos, acremq; moloſſum
Paſce ſero pingui. Nunquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſuſq; luporū
Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

Sæpè etiam curſu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporē, canibus venabere damas.
Sæpè volutabris pulſos ſylveſtribus apros
Latratu turbabis agens, monteſq; per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Morborum quoq; te cauſas & ſigna docebo.
Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigid⁹ imber
Altiùs ad vivum perſedit & horrida cano
Bruma gelu, vel cum tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.
Quam procul aut molli ſuccedere ſæpiùs
umbræ
Videris, aut ſũmas carpentē ignaviùs herbas,
Extremãq; ſequi; aut medio procũbere cãpo
Paſcentem & ſeræ ſolam decedere nocti:
Continuò culpã ferro compeſce, priuſquàm
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.

Non tamen ulla magis præſens fortuna laborum eſt,
Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummũ
Ulceris os, alitur vitium, vivitque tegendo,
Dũ medicas adhibere man⁹ ad vulnera paſtor
Abnegat, aut meliora Deos ſedet õnia poſcẽs.
Hinc lætis vituli vulgò moriuntur in herbis;
Et dulces animas plena ad præſepia reddunt.
Labitur infœlix, ſtudiorũ atq; ĩmemor herbæ
Victor equus, fonteſq; avertitur, & pede terrã
Crebra ferit; demiſſæ aures, incertus ibidem
Sudor; & ille quidem morituris frigid⁹; aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura reſiſtit.
Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & mixtũ ſpumis vomit ore cruorẽ.
Extremoſque ciet gemitus, it triſtis arator
Mœrentẽ abjungẽs fraternâ morte invencũ,

Atq; opere in medio defixa relinquit aratra.
Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediā: pro quâ mercede, canoros
Curetum sonitus crepitantiáque æra secutæ,
Dictæo cœli regem pavere sub antro.
Solæ communes gnatos, consortia tecta
Urbis habēt, magnísq; agitāt sub legibus ævū:
Et patriam solæ, & certos novêre Penates:
Venturæque hiemis memores æstate laborem
Experiuntur, & in mediū quæsita reponunt.
Námq; aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lacrimā, & lentū de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtùs: aliæ purissima mella

Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti:
Inque vicẽ speculantur aquas & nubila cœli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine
facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet op⁹, redolẽtq; thymo fragrãtia mella.
Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina massis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus Ætna.
Illi inter se se magna vi brachia tollunt
In numerum, versantq; tenaci forcipe ferrũ.
Non aliter, si parva licet componere magnis,
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quãq; suo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & Dædala fingere tecta.

At fessæ multâ referunt se nocte minores,
Crura thymo plenæ: pascũtur & arbuta passī,
Et glaucas salices, casiámq; crocúmq; rubentẽ,
Et pinguem tiliã, & ferrugineos hyacinthos.
Omnib⁹ una quies operũ, labor omnib⁹ unus.
Mane ruũt portis, nusquã mora. Rurs⁹ easdẽ
Vesper ubi è pastu tandem decedere campis
Admonuit, tũ tecta petũt, tũ corpora curãt.
Fit sonitus, mussantq; oras & limina circum.
Post, ubi jam thalamis se composuêre, siletur
In noctem, fessósq; sopor suus occupat artus.
Nec veró à stabulis pluviâ impẽdẽte recedũt
Longiùs, aut credũt cœlo adventantib⁹ Euris:
Sed circum tutæ sub mœnib⁹ urbis aquantur,
Excursúsq; breves tentant, & sæpè lapillos,
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburrã,
Tollunt: his se se per inania nubila librant.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morẽ,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerẽ solvunt, aut fœtus nexibus edunt:
Verum ipsæ è foliis natos & suavibus herbis
Ore legunt: Ipsæ Regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulásque & cerea regna refigunt.
Sæpè etiam duris errando in cotibus alas
Attrivêre, ultróq; animam sub fasce dedêre:
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamvis angusti terminus ævi
Excipiat: (neque enim plus septima ducitur æstas)
At gen⁹ immortale manet, multósq; per ãnos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorũ.
Prætereà Regem non sic Ægyptus, & ingens

Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus
Hydaſpes
Obſervāt. Rege incolumi mēs omnibꝰ una eſt:
Amiſſo rupere fidem, conſtructáque mella
Diripuêre ipſæ, & crates ſolvêre favorum.
Ille operum cuſtos: illum admirantur, &
omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque fre-
quentes;
Et ſæpè attollunt humeris, & corpora bello
Objectāt, pulchrāq; petūt per vulnera mortē.
His quidam ſignis, atq; hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixêre. Deum námq; ire per omnes
Terráſq; tractúſq; maris, cœlumq; profundū.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne
ferarum,

Quemq; ſibi tenues naſcentẽ arceſſere vitas,
Scilicet huc reddi deinde ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locũ, ſed viva volare
Sideris in numerũ, atq; alto ſuccedere cœlo.
Si quando ſedem anguſtam, ſervatáque mella
Theſauris relines; priùs hauſtu ſpars⁹ aquarũ
Ora fove, fumóſq; manu prætende ſequaces.
Illis ira modum ſuprà eſt, læſæque venenum
Morſibus inſpirãt,& ſpicula cæca relinquũt
Adfixæ venis, animáſq; in vulnera ponũt.
Sin autẽ ad pugnã exierint; (nã ſæpè duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuóq; animos vulgi & trepidãtia bello
Corda licet longè præſciſcere:námq; morãtes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.
Tũ trepidæ inter ſe coeũt, penníſq; coruſcant,

Spiculáq; exacuũt roſtris, aptántque lacertos,
Et circa Regem, atq; ipſa ad prætoria denſæ
Miſcẽtur, magníſq; vocãt clamoribus hoſtẽ.
Ergo, ubi ver nactæ ſudũ campóſq; patentes,
Erumpunt portis; concurritur; æthere in alto
Fit ſonit⁹, magnũ mixtæ glomerãtur in orbẽ,
Præcipitéſq; cadũt. Non denſior aëre grando,
Nec de concuſſâ tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentes animos anguſto in pectore verſant.
Uſq;adeò obnixi nõ cedere,dũ gravis, aut hos,
Aut hos verſâ fugâ victor dare terga ſubegit.
Hi motus animorũ atq; hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.
Verùm ubi ductores acie revocaveris ambo;
Deterior qui viſus, eum, ne prodigus obſit,
Dede neci: melior vacua ſine regnet in aula.
Alter

Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens:
(Nam duo ſunt genera) hic melior, inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquamis: ille horridus alter
Deſidiâ, latámque trahens inglorius alvum.
Ut binæ Regum facies, ita corpora gentis.
Nāq; aliæ turpes horrēt: ceu pulvere ab alto
Cum venit, & ſicco terram ſpuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, & fulgore coruſcant
Ardentes auro, & parib' lita corpora guttis.
Hæc potior ſoboles: hinc cœli tēpore certo
Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durū Bacchi domitura ſaporē.
Quo magis exhauſtæ fuerint, hoc acri' omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntq; foros, & florib' horrea texent.

Si verò (quoniã casus apibus quoque nostros
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo,
Quod jã non dubiis poteris cognoscere signis;
Continuò est ægris alius color: horrida vultũ
Deformat macies: tum corpora luce carentũ
Exportant tectis, & tristia funera ducunt:
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intùs clausis cunctãtur in ædibus omnes,
Ignavæque fame & contracto frigore pigræ.
Tũ sonus auditur gravior, tractímq; susurrant:
Frigid⁹ ut quondã sylvis immurmurat auster:
Ut mare sollicitũ stridet refluentibus undis;
Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Forsitã & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferíque rosaria Pæsti:
Quòque modo potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripæ, tortúsque per herbam

Cresceret in ventrem cucumis: nec sera comantem
Narcissũ, aut flexi tacuissem vimen achanti,
Pallentésq; hederas, & amãtes littora myrtos.
Námq; sub Oebaliæ memini me turrib⁹ altis,
Quà niger humectat flaventia culta Galesus,
Corycium vidisse senem: cui pauca relicti
Jugera ruris erant; nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarũ tamen in dumis olus, albáq; circùm
Lilia, verbenásq; premẽs, vescúmq; papaver,
Regũ æquabat opes animis: serâq; revertens
Nocte domũ, dapib⁹ mensas onerabat inẽptis.
Prim⁹ vere rosã, atq; autũno carpere poma:
Et cum tristis hyems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus frænaret aquarũ:

Ille comã mollis jam tum tondebat acanthi,
Æſtatẽ increpitans ſerã, zephyróſq; morãtes.
Ergo apibus fœtis idem, atq; examine multo
Primus abundare, & ſpumãtia cogere preſſis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus.
Quótque in flore novo pomis ſe fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam ſeras in verſum diſtulit ulmos,
Edurámq; pyrũ, & ſpinos jam pruna ferẽtes,
Jámq; miniſtrantẽ platanũ potantibꝰ umbrã.
O fortunatos nimiùm, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibꝰ ipſa, procul diſcordibꝰ armis,
Fundit humo facilẽ victum juſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantum totis vomit ædibus undam,
Nec varios inhiant pulchrâ teſtudine poſtes,
Illuſáſque auro veſtes, Ephyreïáque æra:

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno:
Nec caſiâ liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, vivíque lacus: at frigida tempe,
Mugitúſq; boum, molléſq; ſub arbore ſomni
Non abſunt: illic ſaltus ac luſtra ferarum,
Et patiens operũ parvóque aſſueta juventus:
Sacra Deũ, ſanctíq; patres: extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.
Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore,
Accipiant, cœlíque vias & ſidera monſtrent,
Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Unde tremor terris: quâ vi maria alta tumeſcant,
Obicibus ruptis, rurſúſq; in ſe ipſa reſidant:

Quid tantũ Oceano properẽt ſe tingere ſoles
Hyberni; vel quæ tardis mora noctib⁹ obſtet.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circùm præcordia ſanguis:
Rura mihi, & rigui placeãt in vallib⁹ amnes:
Flumina amẽ, ſylváſq; inglori⁹. O, ubi campi,
Sperchiúſq; & virginibus Bacchata Lacænis
Taygeta: ô qui me gelidis in vallib⁹ Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbrâ.
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedib⁹, ſtrepitũq; Acherõtis avari.
Fortunatus & ille, Deos qui novit agreſtes,
Panáq; ſylvanúmq; ſenẽ, Nympháſq; ſorores.
Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres,
Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro:

Nō res Romanæ, perituráq; regna: neq; ille
Aut doluit miserás inopē, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulêre suâ, carpsit: nec ferrea jura,
Insanúmq; forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca, ruúntque
In ferrū: penetrant aulas, & limina regum:
Hic petit excidiis urbem, miserósq; Penates,
Ut gemmâ bibat, & Sarrano dormiat ostro:
Condit opes alius, defossóque incubat auro:
Hic stupet attonit⁹ rostris: hunc plaus⁹ hiantē
Per cuneos (geminatur enī plebísq; patrūq;)
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exilióque domos & dulcia limina mutant,
Atq; alio patriam quærunt sub sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor: hinc patriam, parvósque nepotes

Sustinet: hinc armẽta boũ, meritósq; juvẽcos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorũ, aut Cerealis mergite culmi,
Provẽtuq; oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande sues læti redeunt: dant arbuta sylvæ:
Et varios ponit fœtus autumnus, & altè
Mitis, in apricis coquitur vindemia saxis.
Intereà pendent dulces circùm oscula nati:
Casta pudicitiam servat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pinguésq; in gramine læto
Inter se adversis luctantur cornibus hœdi.
Ipse dies agitat festos: fusúsque per herbã,
Ignis ubi in medio, & socii cratera coronant,
Te libans Lenæe vocat: pecorísq; magistris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo:
Corporáque agresti nudat prædura palæstrâ.

Hanc olim veteres vitam coluêre Sabini:
Hanc Remus, & frater: ſic fortis Hetruria crevit:
Scilicet & rerũ facta eſt pulcherrima Roma,
Septemq; una ſibi muro circumdedit arces.
Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quàm cæſis gens eſt epulata juvencis:
Aureus hanc vitã in terris Saturnus agebat.

HORATIUS. lib. I.

AD SEXTIUM. Ode IV.

SOlvitur acris hiems gratà vice veris & Favonî:
Trahuntque ſiccas machinæ carinas.
Ac neq; jã ſtabulis gaudet pec' aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente lunâ:

Junctæq; Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terrã quatiũt pede : dũ graves cyclo-
Vulcanus ardens urit officinas. [pum
Nunc decet aut viridi nitidũ caput impedire
Aut flore, terræ quẽ ferũt solutæ. [myrto,
Nunc & in umbrosis Fauno decet immolare
Seu poscat agnã, sive malit hœdũ. [lucis,
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tã-
Regũq; turres, ô beate Sexti, [bernas,
Vitæ sũma brevis spẽ nos vetat inchoare lõgã:
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia . . . .

LIBER II.

AD DELLIUM. Ode III.

Æ Quam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis

Ab inſolenti temperatam
Lætitiâ, moriture Delli,
Seu mœſtus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Feſtos reclinatum beâris
Interiore notâ Falerni:
Quà pinus ingens, albáque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, & obliquo laborat
Limpha fugax trepidare rivo.
Huc vina, & unguenta & nimiùm breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ:
Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmptis ſaltibus, & domo,
Villâque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes: & extructis in altum

Divitiis potietur hæres.

Divesne, priſco natus ab Inacho,
Nil intereſt, an pauper & infimâ
De gente ſub dio moreris,
Victima nil miſerantis Orci.

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urnâ: ſeriùs, ociùs
Sors exitura, & nos in æter-
num exilium impoſitura cymbæ.

AD SEPTIMIUM. Ode VI.

TIbur, Argeo poſitum colono,
Sit meæ ſedes utinam ſenectæ:
Sit modus laſſo maris, & viarum,
Militiæque.

Unde ſi parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galeſi

Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet: ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridíque certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum, tepidásque præbet
Jupiter brumas; & amicus Aulon
Fertili Baccho, minimùm Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces . . . . . .

AD POSTHUMUM. Ode XIV.

EHeu! fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ

Afferet, indomitæque morti.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.

LIBER III. Ode I.

. . . . NOn siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non zephyris agitata tempe.
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis

Impetus, aut orientis Hœdi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundúſque mendax: arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta piſces æquora ſentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Cœmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominúſque terræ
Faſtidioſus: ſed timor & minæ
Scandunt eodem, quo dominus: neque
Decedit æratâ triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.
Quod ſi dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum ſidere clarior
Delenit uſus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniúmque coſtum:

Cur invidendis postibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabinâ
Divitias operiosiores?

AD FONTEM BLANDUSIUM. Ode XIII.

O Fons Blandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hœdo:
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & prælia destinat
Frustrà: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere: tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Præbes,

Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium:
Me dicente cavis impoſitam ilicem
Saxis: unde loquaces
Lymphæ deſiliunt tuæ.

AD MÆCENATEM. Ode XVI.

CRescentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames; jure perhorrui
Latè conſpicuum tollere verticem,
Mæcenas, equitum decus.
Quanto quiſque ſibi plura negaverit,
A Diis plura feret. Nil cupientium
Nudus caſtra peto: & transfuga, divitum
Partes linquere geſtio:
Contemptæ dominus ſplendidior rei,
Quam ſi, quicquid arat non piger Appulus,

Occultare meis dicerer horreis;
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ, ſylváque jugerum
Paucorum, & ſegetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit ſorte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læſtrigonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi, nec pinguia Gallicis
Creſcunt vellera paſcuis:
Importuna tamen pauperies abeſt:
Nec, ſi plura velim, tu dare deneges.
Contracto meliùs parva cupidine
Vectigalia porrigam:
Quam ſi Mygdoniis regnum Alyattici
Campis continuem. Multa petentibus,
Deſunt multa: benè eſt cui Deus obtulit

Parcâ, quod ſatis eſt, manu.

AD MÆCENATEM. Ode XXIX.

TYrrhena regum progenies, tibi
Non ante verſo lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me eſt: eripe te moræ,
Ne ſemper udum Tybur, & Æſulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.
Faſtidioſam deſere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis;
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes ſtrepitumq; Romæ.
Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo ſub lare pauperum

Cœnæ, ſine aulæis & oſtro,
Sollicitam explicuêre frontem.

Jam clarus occultum Andromedes pater
Oſtendit ignem: jam Procyon furit,
Et Stella veſani leonis,
Sole dies referente ſiccos.

Jam paſtor umbras cum grege languido,
Rivúmque feſſus quærit, & horridi
Dumeta ſylvani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Tu, civitatem quis deceat ſtatus,
Curas: & urbi ſollicitus, times
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaïſque diſcors.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſâ nocte premit Deus,
Ridetque ſi mortalis ultrà

Fas trepidat. Quod adeſt, memento
Componere æquus, cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Hetruſcum
In mare, nunc lapides adeſos,
Stirpeſque raptas, & pecus, & domos
Volventis unà, non ſine montium
Clamore, vicinæque ſylvæ:
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens ſui,
Lætúſque deget, cui licet, in diem
Dixiſſe, Vixi: cras vel atrâ
Nube polum Pater occupato;
Vel ſole puro: non tamen irritum
Quodcumque retrò eſt, efficiet: neque
Diffinget, infectúmque reddet,
Quod fugiens ſemel hora vexit.

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.
Laudo manentem: Si celeres quatit
Pennas, reſigno quæ dedit: & meâ
Virtute me involvo, probámque
Pauperiem ſine dote quæro.
Non eſt meum, ſi mugiat Africis
Malus procellis, ad miſeras preces
Decurrere, & votis paciſci,
Ne Cypriæ, Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis præſidio ſcaphæ,
Tutum per Ægeos tumultus
Aura feret, geminúſque Pollux.

LIBER IV.

AD TORQUATUM. Ode VII.

DIffugêre nives, redeunt jam gramina
Arboribúſque comæ. [campis
Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina prætereunt.
Gratia cũ Nymphis, geminíſq; ſororib⁹ audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne ſperes, monet annus, & almũ
Quæ rapit hora diem.
Frigora miteſcũt zephyris: Ver proterit æſtas
Interitura: ſimul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparãt cæleſtia Lunæ;
Nos ubi decidimus

Quò pius Æneas, quò Tullus dives, & Ancus
Pulvis & umbra ſumus.
Quis ſcit an adjiciāt hodiernæ craſtina ſūmæ
Tempora Dij ſuperi?
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.
Cum ſemel occideris, & de te ſplēdida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facūdia, non te
Reſtituet pietas;
Infernis neq; enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec lethæa valet Theſeus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Ad Virgilium. Ode xii.

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Jam nec prata rigent, nec fluvij ſtrepunt
Hybernâ nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod malè barbaras
Regum eſt ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes avium carmina fiſtulâ:
Delectantque Deum, cui pecus, & nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxêre ſitim tempora, Virgili:
Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis, juvenum nobilium cliens,

Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaráque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ ſi properas gaudia, cum tuâ
Velox merce veni, non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plenâ dives ut in domo.
Verum pone moras, & ſtudium lucri:
Nigrorúmque memor, dum licet, ignium
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem:
Dulce eſt deſipere in loco.

LIBER. V.

AD MÆCENATEM. Carmen I.

NOn ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis:

Pecúſve Calabris ante ſydus fervidum
Lucana mutet paſcua:
Nec ut ſuperni villa candens Tuſculi,
Circæa tangat mœnia.
Satis ſupérque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero
Quod aut, avarus ut Chremes, terrâ premã,
Diſcinctus aut perdam ut nepos.

CARMEN II.

BEatus ille, qui procul negotiis,
(Ut priſca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore:
Neque excitatur claſſico miles truci,
Neque horret iratum mare:
Forúmque vitat, & ſuperba civium

Potentiorum limina.
Ergo aut adultâ vitium propagine
Altas maritat populos:
Inutiléſque falce ramos amputans,
Feliciores inſerit:
Aut in reductâ valle mugientium
Proſpectat errantes greges:
Aut preſſa puris mella condit amphoris:
Aut tondet infirmas oves:
Vel quum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpuræ!
Quâ muneretur te, Priape, & te, pater
Sylvane, tutor finium:
Libet jacere, modò ſub antiquâ ilice,
Modò in tenaci gramine,

Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in ſylvis aves:
Fontéſque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At quum tonantis annus hibernus Jovis
Imbres nivéſque comparat:
Aut trudit acres hinc & hinc multâ cane
Apros in obſtantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pavidumq; leporem, & advenā laqueo gruē
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum quas amor curas habet,
Hæc inter obliviſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem juvet
Domum, atque dulces liberos:
(Sabina qualis, aut peruſta ſolibus

Pernicis uxor Appuli)
Sacrum vetuſtis extruat lignis focum,
Laſſi ſub adventum viri:
Claudenſque textis cratibus lætum pecus,
Diſtenta ſiccet ubera:
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magiſve rhombus, aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis deſcendat in ventrem meum
Non attagen Ionicus,
Jucundior, quam lecta de pinguiſſimis
Oliva ramis arborum:
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Maluæ ſalubres corpori:

Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido:
Positósque vernas, ditis examen domus,
Circùm renidentes Lares!
Hæc ubi loquutus fœnerator Alphius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam:
Quærit Calendis ponere.

CARMEN XVI.

NOs manet Ocean' circumvag' arva, beata
Petamus arva, divites & insulas:
Reddit ubi Cererē tellus inarata quotannis,

Et imputata floret uſque vinea:
Germinat & nunquã fallentis termes olivæ,
Suámque pulla ficus ornat arborem:
Mella cavâ manant ex ilice, montib⁹ altis
Levis crepante Lympha deſilit pede.
Illic injuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera:
Nec veſpertinus circumgemit urſus ovile,
Nec intumeſcit alta viperis humus.
Pluráque fœlices mirabimur, ut neque largis
Aquoſus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec ſiccis urantur ſemina glebis,
Utrumque rege temperante cœlitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem,
Non huc Sidonii torſerunt cornua nautæ,
Laborioſa nec cohors Ulyſſei.

Nulla

Nulla nocent pecori contagia, nullius aſtri
Gregem æſtuoſa torret impotentia.
Juppiter illa piæ ſecrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum.
Ære, dehinc ferro duravit ſæcula, quorum
Piis ſecunda vate me datur fuga.

LIBER II.

SATYRA II.

. . . . UTerne
Ad caſus dubios fidet ſibi certiùs? hic, qui
Pluribꝰ aſſuerit mentē corpúſque ſuperbum:
An qui contentus parvo, metuenſq; futuri,
In pace, ut ſapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas: puer hunc ego parvus
Ofellum
Integris opibus novi non latiùs uſum,

Quàm nunc accisis: videas metato in agello
Cum pecore & gnatis fortẽ mercede colonũ,
Non ego, narrantẽ, temerè edi luce profestâ
Quicquã præter olus, fumosæ cũ pede pernæ,
Ac mihi cũ longũ post temp⁹ venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrẽ
Vicinus, benè erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atq; hædo: tũ pensilis uva secũdas
Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat cupâ potare magistrâ:
Ac venerata Ceres, ut culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis.
Sæviat atque novos moveat fortuna tumult⁹,
Quantum hinc imminuet: quanto aut ego,
parcius, aut vos
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herũ natura, neq; illũ,

Nec me, nec quēquā ſtatuit: nos expulit ille:
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia juris,
Poſtremo expellet certè vivacior hæres.
Nunc ager umbreni ſub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius: ſed cedet in uſum
Nunc mihi, nunc alii: quocircà vivite fortes,
Fortiáque adverſis opponite pectora rebus.

SATYRA VI.

HOc erat in votis: mod⁹ agri nō ita magn⁹,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulum ſylvæ ſuper his foret. Auctiùs, atq;
Dî meliùs fecêre, benè eſt. Nihil ampli⁹ oro,
Maiâ nate; niſi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione malâ rem;
Nec ſum facturus vitio culpáve minorem.

Si veneror ſtult⁹ nihil horum : ô ſi angul⁹ illé
Proximus accedat, qui nunc deformat agellũ:
O ſi urnã argẽti fors quâ mihi mõſtret ; ut illi
Theſauro invento, qui mercenarius agrum
Illum ipſum mercatus aravit, dives amico
Hercule : ſi quid adeſt, gratum juvat, hac
prece te oro
Pingue pec⁹ domino facias, & cætera,præter
Ingeniũ : utq; ſoles, cuſtos mihi maxim⁹adſis.
Ergo ubi me in montes, & in arcem ex urbe
removi,
Quid priùs illuſtrẽ Satyris Muſâq; pedeſtri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus
Auſter,
Autumnúſq; gravis, Libitinæ quæſt⁹ acerbæ,
Matutine pater, ſeu Jane libentiùs audis,
Unde homines operũ primos vitæq; labores

Inſtituũt (ſic Dîs placitum) tu carminis eſto
Principium. Romæ ſponſorem me rapis. Eia,
Ne prior officio quiſquam reſpondeat, urge :
Sive Aquilo radit terras : ſeu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.
Poſt modo, quod mi obſit, clarè certũq; locuto,
Luctandum in turbâ : facienda injuria tardis,
Quid vis, inſane, & quas res agis ? Improbus
urget
Iratis precibus. Tu pulſes omne, quod obſtat,
Ad Mæcenatem memori ſi mente recurras.
Hoc juvat, & melli eſt, non mentiar. At ſimul
atras
Ventum eſt Eſquilias ; aliena negotia centum
Per caput, & circà ſaliunt latus. Ante ſecũdã
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.
De re communi ſcribæ magnâ, atq; novâ te

Orabant hodie meminisses, Quincte, reverti.
Imprimat his cur, Mæcenas, signa tabellis.
Dixeris, experiar: si vis, potes, addit, & instat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cæpit habere suorum
In numero: duntaxat ad hoc, quem tollere
rhedâ
Vellet, iter faciens, & cui concredere nugas
Hoc genus: hora quota est? Thrax est gallina
Syro par?
Matutina parũ cautos jam frigora mordent;
Et quæ rimosâ benè deponuntur in aure.
Per totũ hoc temp⁹, subjectior in diẽ & horã
Invidiæ. Noster ludos spectaverat unà,
Luserat in campo, fortunæ filius, omnes.
Frigidus à Rostris manat per compita rumor;
Quicumq; obvi⁹ est, me cõsulit, ô bene (nã te

Scire, deos quoniā propius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audiſti? Nil equidē. Ut tu
Sēper eris deriſor. At omnes Dî exagitēt me,
Si quidquā. Quid? militib⁹ promiſſa, Triquetra
Prædia Cæſar, an eſt Italâ tellure daturus?
Jurantem me ſcire nihil; mirantur, ut unum
Scilicet egregij mortalem altíque ſilenti.
Perditur hæc inter miſero lux, non ſine votis:
O rus, quādo ego te aſpiciā? quādóq; licebit,
Nunc veterum libris, nunc ſomno, & inertibus horis
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulq;
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?
O noctes cœnæq; Deûm; quib⁹ ipſe, meíq;
Ante larē propriū veſcor: vernáſq; procaces
Paſco libatis dapibus, prout cuiq; libido eſt,

Siccat inæquales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis: ſeu quis cupit acria fortis
Pocula, ſeu modicis humeſcit lætiùs. Ergo
Sermo oritur, nõ de villis, domibuſve alienis:
Nec, malè necne, Lepos ſaltet: ſed quod magis ad nos
Pertinet, & neſcire malũ eſt, agitam⁹: utrũve
Divitiis homines, an ſint virtute beati:
Quidve ad amicitias, uſus, rectũve trahat nos:
Et quæ ſit natura boni, ſummumq; quid ejus.
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Nam ſi quis laudat Arellî
Sollicitas ignarus opes; ſic incipit: Olim
Ruſticus urbanũ murem mus paupere fertur
Accepiſſe cavo, veterem vetus hoſpes amicũ;
Aſper, & attentus quæſitis: ut tamen arctum
Solveret hoſpitiis animũ. Quid multa? neq; illi

Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum & ore ferens acinum, semesáq; lardi
Frusta dedit: cupiens variâ fastidia cœnâ
Vincere, tangẽtis malè singula dẽte superbo:
Cum pater ipse dom⁹ paleâ porrect⁹ in hornâ
Esset ador loliũque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc, quid te juvat, inquit, amice?
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbẽq; feris præponere sylvis?
Carpe viam (mihi crede) comes: terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita: neq; ulla est
Aut magno aut parvo lethi fuga. Quo bone circà,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus:
Vive memor, quã sis ævi brevis. Hæc ubi dicta

Agrestem pepulêre : domo levis exsilit, inde
Ambo propositũ peragunt iter ; urbis avẽtes
Mœnia nocturni subrepere. Jamque tenebat
Nox mediũ cœli spatium ; cum ponit uterq;
In locuplete domo vestigia : rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos
Multáq; de magnâ superessent fercula cœnâ ;
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpureâ porrectũ in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuátq; dapes : nec non vernaliter ipsis
Jungitur officiis; prælãbẽs omne, quod affert.
Illle cubans gaudet mutatâ sorte, boníſque
Rebus agit lætũ convivã : cum subitò ingens
Valuarũ strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magísq;

Exanimes trepidare, ſimul dom⁹ alta moloſſis
Perſonuit canib⁹. Tũ ruſticus, haud mihi vitâ
Eſt opus hac, ait, & valeat. Me ſylva cavúſq;
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur ervo.

LIBER I.

EPISTOLA X.

URbis amatorem Fuſcum ſalvere jubemus
Ruris amatores: hac in re ſcilicet unâ
Multùm diſſimiles, ad cætera penè gemelli.
Fraternis animis, quidquid negat alter & alter
Annuimus pariter vetuli notique columbi.
Tu nidum ſeruas: Ego laudo ruris amœni
Rivos, & muſco circumlita ſaxa, nemúſque.
Quid quæris? vivo, & regno, ſimul iſta reliqui,
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo,
Utque ſacerdotis fugitivus, liba recuſo:

Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ ſi convenienter oportet,
Ponendæq; domo quærenda eſt area primũ;
Noviſti ne locum potiorem rure beato?
Eſt ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat & rabiem canis, & momenta Leonis,
Cum ſemel accepit ſolem furibundus acutũ?
Eſt ubi depellat ſomnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbũ,
Quàm, quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur ſylva columnas;
Laudaturq; domus, lõgos quæ proſpicit agros.
Naturã expellas furcâ: tamen uſq; recurret,
Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix.
Non qui Sidonio contendere callidus oſtro

Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certiùs accipiet damnũ, propiúsve medullis.
Quàm qui non poterit vero distinguere falsũ.
Quem res plus nimio delectavêre secundæ,
Mutatæ quatient: si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges, & regum vitâ præcurrere amicos.
Cervus equũ pugnâ melior cõmunib⁹ herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænúmq; recepit;
Sed postquã victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frænum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret; dominũ vehet improb⁹ atq;
Serviet æternum, quià parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.

Lætus ſorte tuâ vives ſapienter, Ariſti:
Nec me dimittes incaſtigatum, ubi plura
Cogere, quã ſatis eſt, ac non ceſſare videbor.
Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potius, quã ducere funẽ.
Hæc tibi dictabã poſt fanum putre Vacunæ;
Excepto, quod non ſimul eſſes, cætera lætus

EPISTOLA XIV.

VIllice ſylvarũ & mihi me reddentis agelli,
Quem tu faſtidis, habitatũ quinque focis, &
Quinque bonos ſolitũ Bariã dimittere patres:
Certem⁹, ſpinas animóne ego fortiùs, an tu
Evellas agro: & melior ſit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiæ pietas & cura moratur
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis
Inſolabiliter: tamen iſtud mens animúſque

Fert,& amat ſpatiis obſtantia rũpere clauſtra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatũ.
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus uterq; locũ immeritũ cauſatur iniquè;
In culpâ eſt anim⁹, qui ſe non effugit unquã.
Tu mediaſtinus tacitâ prece rure petebas:
Nunc urbem & ludos & balnea villic⁹ optas.
Me conſtare mihi ſcis, & diſcedere triſtem,
Quandocũque trahunt inviſa negotia Romã.
Non eadem miramur: eò diſconvenit inter
Meque & te: nam quæ deſerta & inhoſpita teſqua
Credis, amœna vocat, mecũ qui ſẽtit: & odit,
Quæ tu pulchra vocas. Fornix tibi & uncta popina
Incutiunt urbis deſiderium, video, & quod
Angulus iſte feret piper & thus, ocyus uvâ:

Lætus ſorte tuâ vives ſapienter, Ariſti:
Nec me dimittes incaſtigatum, ubi plura
Cogere, quã ſatis eſt, ac non ceſſare videbor.
Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potius, quã ducere funẽ.
Hæc tibi dictabã poſt fanum putre Vacunæ;
Excepto, quod non ſimul eſſes, cætera lætus

EPISTOLA XIV.

VIllice ſylvarũ & mihi me reddentis agelli,
Quem tu faſtidis, habitatũ quinque focis, &
Quinque bonos ſolitũ Bariã dimittere patres:
Certem⁹, ſpinas animóne ego fortiùs, an tu
Evellas agro: & melior ſit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiæ pietas & cura moratur
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis
Inſolabiliter: tamen iſtud mens animúſque

Fert,& amat ſpatiis obſtantia rũpere clauſtra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatũ.
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus uterq; locũ immeritũ cauſatur iniquè;
In culpâ eſt anim9, qui ſe non effugit unquã.
Tu mediaſtinus tacitâ prece rure petebas:
Nunc urbem & ludos & balnea villic9 optas.
Me conſtare mihi ſcis, & diſcedere triſtem,
Quandocũque trahunt inviſa negotia Romã.
Non eadem miramur: eò diſconvenit inter
Meque & te: nam quæ deſerta & inhoſpita teſqua
Credis, amœna vocat, mecũ qui ſẽtit: & odit,
Quæ tu pulchra vocas. Fornix tibi & uncta popina
Incutiunt urbis deſiderium, video, & quod
Angulus iſte feret piper & thus, ocyus uvâ:

Nec vicina ſubeſt vinum præbere taberna

Quæ poſſit tibi: nec meretrix tibicina, cujus

Ad ſtrepitũ ſalias terræ gravis. Et tamẽ urges

Jampridẽ non tacta ligonib⁹ arva: bovemq;

Disjunctũ curas, & ſtrictis frondibus exples.

Addit opus pigro rivus, ſi decidit imber,

Multâ mole docendus aprico parcere prato.

Nunc, age, quid noſtrũ cõcentũ dividat, audi.

Quem tenues decuêre togæ, nitidíq; capilli:

Quem ſcis immunẽ Cynaræ placuiſſe rapaci,

Quem bibulũ liquidi mediâ de luce Falerni:

Cœna brevis juvat, & prope rivum ſomnus in herba.

Nec luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.

Non iſtic obliquo oculo mea cõmoda quiſquã

Limat, non odio obſcuro morſúſq; venenat.

Rident vicini glebas; & ſaxa moventem.

Cum

Cum servis urbana diaria rodere mavis:
Horum tu in numerum voto ruis. Invidet usũ
Lignorũ & pecoris tibi calo argutus, & horti.
Optat ephippia bos piger, optat arare caball⁹.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat
artem.

EPISTOLA XVI.

NE percõteris, fund⁹ meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum, an baccis opulẽtet olivæ;
Pomísne & pratis, an amictâ vitibus u'mo,
Scribetur tibi forma loquaciter, & situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opacâ
Valle: sed ut veniẽs dextrũ latus aspiciat Sol,
Lævum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiẽ laudes: quod si rubicunda benignè,
Corna vepres & pruna ferãt? Si querc⁹ & ilex

H

Multâ fruge pec⁹, multâ dominũ juvet umbrâ ?
Dicas adductũ propiùs frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracã, nec purior ambiat Hebrus.
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam (si credis) amœnæ
Incolumẽ tibi me præstãt Septembrib⁹ horis.

LIBER II.

EPISTOLA I.

AGricolæ prisci, fortes, parvóque beati,
Condita post frumẽta, levantes tẽpore festo
Corpus, & ipsũ animũ spe finis dura ferentẽ,
Cum sociis operũ, & pueris & conjuge fidâ,
Tellurem porco, sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino Geniũ, memorẽ brevis ævi.

CATULUS. Lib. I.

O quid ſolutis eſt beatius curis?
Cùm mens onus reponit, ac peregrino
Labore feſſi venimus larem ad noſtrum,
Deſideratóque acquieſcimus lecto?
Hoc eſt, quod unum eſt pro laboribus tantis.
Salve ô venuſta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete voſque Lydiæ lacus undæ:
Ridete quicquid eſt domi cachinnorum.

TIBULLUS. Liber I.

ELEGIA I.

DIvitias alius fulvo ſibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa ſoli.
Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte:
Martia cui ſomnos claſſica pulſa fugent.

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
  Dum meus exiguo luceat igne focus:
Nec ſpes deſtituat, ſed frugũ ſemper acervos
  Præbeat, & pleno pinguia muſta lacu.
Ipſe ſeram teneras maturo tempore vites,
  Ruſticus & facili grandia poma manu.
Nec tamen interdũ pudeat tenuiſſe bidentẽ,
  Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.
Non agnámve ſinu pigeat, fœtúmve capellæ
  Deſertum, oblitâ matre, referre domum.
Hic ego paſtorẽq; meum luſtrare quotannis,
  Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.
Nã veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
  Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.
Et quodcũq; mihi pomũ novus educat annus,
  Libatum agricolæ ponitur ante Deo.
Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona

Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomosíſque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſævâ falce Priapus aves.
Vos quoq; felicis quondã, nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra, Lares.
Tũc vitula innumeros luſtrabat cæſa juvẽcos:
Nunc agna exigui eſt hoſtia magna ſoli.
Agna cadet vobis: quã circùm ruſtica pubes
Clamet: io meſſes, & bona vina date.
Adſitis, Divi: nec vos è paupere menſâ
Dona, nec è parvis ſpernite fictilibus.
Fictilia antiquus primùm ſibi fecit agreſtis
Pocula de facili, compoſuitque luto.
At vos exiguo pecori furéſque, lupíque
Parcite: de magno eſt præda petẽda grege.
Non ego divitias patrum fructúſque requiro,
Quos tulit antiquo condita meſſis avo.

Parva seges satis est. Satis est, requiescere
Si licet, & solo mēbra levare toro. [lecto,
Quam juvat immites ventos audire cubantē,

. . . .

Aut gelidas hibern⁹ aquas quū fuderit Auster,
Securum somnos imbre juvante sequi:
Hoc mihi contingat. Sit dives jure, furorem
Qui maris, & tristes ferre potest pluvias.
Jam modo nō possum contētus vivere parvo,
Nec semper longæ deditus esse viæ:
Sed canis æstivos ortus vitare sub umbrâ
Arboris, ad rivos prætereuntis aquæ.

LIBER. II.

ELEGIA I.

QUisquis adest, faveat: fruges lustramus &
Ritus ut à prisco tradit⁹ extat avo. [agros,

Bacche veni, dulcíſque tuis è cornib' uva
Pendeat: & ſpicis tempora cinge, Ceres.
Luce ſacrâ requieſcat humus, requieſcat ara-
Et grave ſuſpẽſo vomere ceſſet opus. [tor,
Solvite vincla jugis: nunc ad præſepia debẽt
Plena coronato ſtare boves capite.
Omnia ſint operata Deo. Non audeat ulla
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.
Caſta placent ſuperis: purâ cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras,
Vinctáque poſt oleâ candida turba comas.
Dij patrij, purgam' agros, purgam' agreſtes.
Vos mala de noſtris pellite limitibus:
Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres ſegnior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confiſus ruſticus arcis

Ingerat ardenti grandia ligna foco.
Turbáq; vernarum ſaturi bona ſigna coloni
Ludet, & ex virgis extruet ante caſas.
Eventura precor, viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuncia fibra Deos?
Nunc mihi, nunc fumos veteris proferte Falernos
Conſulis: & Chio ſolvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non feſtâ luce madere
Eſt rubor, errantes & male ferre pedes.
Sed bene Meſſalã ſua quiſq; ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.
Gentis Aquitanæ celeber Meſſala triumphis
Et magna intonſis gloria victor avis.
Huc ades, adſpiráq; mihi, dũ carmine noſtro
Redditur agricolis gratia cœlitibus.
Rura cano, ruríſque Deos: his vita magiſtris

Deſtituit quernâ pellere glande famem.
Illi compoſitis primum docuêre tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Ille etiam tauros primum docuiſſe feruntur
Servitium, & plauſtro ſuppoſuiſſe rotam.
Tunc victus abière feri, tunc conſita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas:
Aurea tunc preſſos pedib' dedit uva liquores:
Miſtáque ſecuro eſt ſobria lympha mero.
Rura ferunt meſſes, calidi cum ſideris æſtu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci ſedula melle favos.
Agricola adſiduo primum laſſatus aratro,
Cantavit certo ruſtica verba pede:
Et ſatur arenti primum eſt modulatus avenâ
Carmen, ut ornatos duceret ante Deos.

Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti,
Primus inexpertâ duxit ab arte choros:
Huic datus à pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.
Rure puer verno primùm de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & fœmineꝰ labor eſt, hinc penſa, colúſq;
Fuſus, & appoſito pollice verſat opus.
Atq; aliqua adſidue textrix operata Minervâ
Cantat, & adpluſo tela ſonant latere.

OVIDIUS. *de remed. amor.* Lib. I.

RUra quoq; oblectant animos, studiúmque colendi:
Quælibet huic curæ cedere cura potest.
Colla jube domitos oneri supponere tauros,
Sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Obrue versatâ Cerealia semina terrâ,
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.
Aspice curvatos pomorum pondere ramos,
Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.
Aspice labentes jucundo murmure rivos:
Aspice tondentes fertile gramen oves.
Ecce petunt rupes præruptáq; saxa capellæ.
Jam referunt hœdis ubera plena suis.
Pastor inæquali modulator arundine carmen:

Nec desunt comites, sedula turba, canes.
Parte sonant aliâ sylvæ mugitibus altæ,
Et queritur vitulum mater abesse suum.
Quid cum suppositos fugiunt examina fumos,
Ut relevent dempti vimina curva favi?
Poma dat Autũnus: formosa est messib⁹ Æstas:
Ver præbet flores: igne levatur hyems.
Temporibus certis maturas rusticus uvas
Colligit, & nudo sub pede musta fluunt:
Temporibus certis desectas alligat herbas,
Et tonsam raro pectine verrit humum.
Ipse potes riguis plantas deponere in hortis:
Ipse potes rivos ducere lenis aquæ.
Venerit insitio: fac ramum ramus adoptet,
Stétque peregrinis arbor operta comis.

VAL. MAXIMUS.
Lib. IV. c. 4. n. 6.

ATilius Regulus, primi Punici belli gloria cladésque maxima: cum in Africâ insolentissimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset: Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem jugerum habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium amoto inde rustico instrumento discessisse: Ideóque petere ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquam Senatus à Consulibus accepit, & agrum Atilij illicò colendum locari, & alimenta conjugi ejus ac liberis præberi, resque quas amiserat, redimi publicè jussit.

SENECA IN HIPPOLY.

NOn alia magis eſt libera, & vitio carens,
Ritúſque melius vita quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicavit montium inſontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis;
Non peſtilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno ſervit, aut regno imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes,
Spei metúſque liber. Haud illum niger,
Edáxque livor dente degeneri petit.
Nec ſcelera populos inter, atque urbes ſita
Novit, nec omnes conſcius ſtrepitus pavet.

JUVENAL. *Satyra* III.

QUanti nunc tenebras unum conducis in annum!
Hortulus hic, puteúſque brevis, nec reſte movendus,
In tenues plantas facili diffunditur hauſtu.
Vive bidentis amans, & culti villicus horti:
Unde epulum poſſis centũ dare Pythagoræis.
Eſt aliquid quocũq; loco, quocumq; receſſu,
Unius ſe ſe dominum feciſſe lacertæ.

SATYRA XI.

FErcula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburnino veniet pinguiſſimus agro
Hædulus, & toto grege mollior, inſci⁹ herbæ,
Nec dũ auſus virgas humilis mordere ſalicti:

Qui plus lactis habet, quā ſanguinis & mōtani
Aſparagi, poſito quos legit villica fuſo.
Grandia prætereà, tortóque calentia fœno
Ova adſunt ipſis cum matribus, & ſervatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus uvæ:
Signinū, Syriúmq; pyrum, de corbib⁹ iiſdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, ſiccatū frigore poſtquā
Autumnum, & crudi poſuêre pericula ſucci.
Hæc olim noſtri jam luxurioſa Senatus
Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,
Ipſe focis brevib⁹ ponebat oluſcula: quæ nunc
Squalidus in magnâ faſtidit compede foſſor,
Qui meminit, calidæ ſapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga ſuis, rarâ pendentia crate,
Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et

Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente novâ, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorũ aliquis titulo ter Consulis, atque
Castrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturiùs ibat,
Erectum domito referens à monte ligonem.

MARTIAL. Lib. I.

EPIGRAM. 56.

VOta tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ, Fronto, togæque decus:
Hoc petit, esse sui, nec magni, ruris arator,
Sordidáque in parvis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus ave:
Cui licet exigui nemoris, rurísque beati
Ante focum plenas explicuisse plagas?

Et piſcem tremulâ ſalientem ducere ſetâ;
 Flaváque de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui villica menſas,
 Et ſua non emptus præparat ova cinis?
Non amet hanc vitam, quiſquis me non amat, opto:
 Vivat & urbanis albus in officiis.

LIBER III. EPIGRAM. 47.

CApena grandi porta quâ pluit gutta,
Phygiæque matris almo quâ lavat ferrum,
Horatiorum quâ viret ſacer campus,
Et quâ puſilli fervet Herculis fanum,
Fauſtine, plenâ Baſſus ibat in rhedâ,
Omnes beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice nobili caules,
Et utrumque porrum, ſeſſiléſque lactucas,

Pigróque ventri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus gravem turdis,
Leporémque læſum gallici canis dente,
Nondúmque victâ lacteum fabâ porcum.
Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno curſor ova portabat.
Romam petebat Baſſus: immo rus ibat.

EPIGRAM. 58.

BAiana noſtri villa, Baſſe, Fauſtini
Non otioſis ordinata myrtetis,
Viduáque Platano, tonſilique buxeto;
Ingrata lati ſpatia detinet campi;
Sed rure vero, barbaróque lætatur.
Hic farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis,
Hic poſt Novembres, imminẽte jam brumâ,

Seras putator horridus refert uvas;
Truces in altâ valle mugiunt tauri,
Vitulúſque inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba ſordidæ cortis,
Argutus anſer, gemmeíque pavones,
Nomenque debet quæ rubentibus pennis,
Et picta perdix, numidicæque guttatæ,
Et impiorum phaſiana Colchorum.
Rhodias ſuperbi fœminas premunt Galli,
Sonantque turres plauſibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur,
Avidi ſequuntur villicæ ſinum porci,
Matremque plenam mollis agnus expectat.
Cingunt ſerenum lactei focum vernæ,
Et larga feſtos lucet ad lares ſylva.
Non ſegnis albo pallet otio caupo:
Nec perdit oleum lubricus palæſtrita:

Sed tendit avidis recte ſubdolum turdis,
Tremuláve captum lineâ trahit piſcem,
Aut impeditam caſſibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus umbellas.
Et pædagogo non jubente laſcivi
Parere gaudent villico capillati,
Et declinatus opere fruitur eunuchus.
Nec venit inanis ruſticus ſalutator;
Fert ille ceris cana cum ſuis mella,
Metamque lactis Saſſinate de ſylvâ.
Somniculoſos ille porrigit glires,
Hic vagientem matris hiſpidæ fœtum,
Alius coactos non amare capones.
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.
Facto vocatur lætus opere vicinus,
Nec avara ſervat craſtinas dapes menſa,

Veſcuntur omnes, ebrióque non novit
Satur miniſter invidere convivæ.
At tu ſub urbe poſſides famem mundam,
Et turre ab altâ proſpicis meras laurus,
Furemque Priapo non timente ſecurus,
Et vinitorem farre paſcis urbano,
Pictámque portas otioſus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caſeum, muſtum:
Rus hoc vocari debet, an domus longe?

LIBER IV. EPIGRAM. 64.

JUlî jugera pauca Martialis
Hortis Heſperidúm beatiora
Longo Janiculi jugo recumbunt:
Lati collibus imminent receſſus:
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur ſereniore:

Et curvas nebulâ tegente valles.
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur aſtris
Celſæ culmina delicata villæ.
Hinc ſeptem dominos videre montes,
Et totam licet æſtimare Romam,
Albanos quoque Tuſculóſque colles,
Et quodcumque jacet ſub urbe frigus,
Fidenas veteres, brevéſque Rubras,
Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perannæ.
Illic flaminiæ, ſalariæque
Geſtator patet, eſſedo tacente,
Ne blando rota ſit moleſta ſomno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet Helciariorum.
Cum ſit tam propè Mulvius, ſacrúmque

Lapſæ per Tyberim volent carinæ,
Hoc rus, ſeu potiùs domus vocanda eſt,
Commendat dominus, tuam putabis:
Tam non invida, támque liberalis
Tam comi patet hoſpitalitate.
Credas Alcinoï pios Penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.
Vos nunc omnia parva, qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneſte domate, pendulámque
Uni dedite ſetiam colono:
Dum, me judice, præferantur iſtis
Julî jugera pauca Martialis.

LIBER VI. EPIGRAM. 43.

DUm tibi felices indulgent, Caſtrice, Baïæ:
Canáq; ſulphureis Nympha natatur aquis:

Me Nomentani confirmant otia ruris,
  Et caſa jugeribus non oneroſa ſuis.
Hîc mihi Bajani ſoles, mollíſque Lucrinus:
  Hîc veſtræ mihi ſunt, Caſtrice, divitiæ.
Quondā laudatas quocūq; libebat ad undas
  Currere, nec longas pertimuiſſe vias.
Nunc urbi vicina juvant, faciléſq; receſſus,
  Et ſatis eſt, pigro ſi licet eſſe mihi.

LIBER VIII. EPIGRAM. 68.

QUi Corcyrei vidit pomaria regis,
  Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Invida purpureos urat ne bruma racemos,
  Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
Condita perſpicuâ vivit vindemia gemmâ,
  Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Fœmineum lucet ſic per bombycina corpus:

Calculus in nitidâ ſic numeratur aquâ.

Quid non ingenio voluit natura licere?

Autumnum ſterilis ferre jubetur hiems.

LIBER X. EPIGRAM. 47.

VItam quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſine arte menſa:
Nox non ebria, ſed ſoluta curis:
Non triſtis torus, attamen pudicus:
Somnus, qui faciat breves tenebras:
Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis:

Summum nec metuas diem, nec optes.

Epigram. 96.

SÆpè loquar nimiùm gentes, quod, Avite, remotas
Miraris, Latiâ factus in urbe ſenex;
Auriferũq; Tagum ſitiã, patriumq; Salonem,
Et repetam ſaturæ ſordida rura caſæ.
Illa placet tellus, in quâ res parva beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Paſcitur hîc, ibi paſcit ager, tepet igne maligno
Hîc focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hîc pretioſa fames, conturbatorq; macellus,
Menſa ibi divitiis ruris operta ſui.
Quatuor hîc æſtate togæ, pluréſve teruntur;
Autumnis ibi me quatuor una tegit.

J, cole nunc reges, quidquid non præſtat amicus,
Cum præſtare tibi poſſit, Avite, locus.

LIBER XI. EPIGRAM. 19.

DOnaſti, lupe, rus ſub urbe nobis:
Sed rus eſt mihi majus in feneſtrâ:
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno;
Clauſæ cui folium roſæ corona eſt:
In quo non magis invenitur herba,
Quam coſti folium, pipérue crudum:
In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec ſerpens habitare tuta poſſit.
Erucam malè paſcit hortus unam,

Consumpto moritur culex salicto,
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut violæ patere possunt.
Fines mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis ungue Procnes
In nido seges est hirundinino,
Et cum stet sine falce, ...
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata:
Errasti, Lupe, literâ sed unâ.
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

LIBER XII. EPIGRAM. 31.

HOc nemus, hi ſontes, hæc textilis umbra ſupini
Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ:
Pratáque nec bifero ceſſura roſaria Pæſto:
Quodq; viret Jani menſe, nec alget olus:
Quæq; natat cluſis anguilla domeſtica lymphis,
Quæq; gerit ſimiles candida turris aves:
Munera ſunt domino poſt ſeptima luſtra reverſo;
Has Marcella domos, parváq; regna dedit.
Si mihi Nauſicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo poſſem dicere, malo meos.

EPIGRAM. 57.

CUr sæpè ſicci parva rura Nomenti,
Larémque villæ ſordidum petam, quæris?
Nec cogitandi, Sparſe, nec quieſcendi
In urbe locus eſt pauperi: negant vitam
Ludimagiſtri manè, nocte piſtores,
Ærariorum marculi die toto.
Hinc otioſus ſordidam quatit menſam
Neronianâ nummularius maſſâ:
Illinc paludis malleator Hiſpanæ
Tritum nitenti fuſte verberat ſaxum.
Nec turba ceſſat entheata Bellonæ,
Nec faſciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus,
Nec ſulphuratæ lippus inſtitor mercis.
Numerare pigri damna qui poteſt ſomni,

Dicet quot æra verberent manus urbis;
Cum secta Colcho luna vapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, vinitórque Romanus.
Nec in falerno monte major autumnus,
Intráque limen clausus essedo cursus,
Et in profundo somnus, & quies nullis
Offensa linguis, nec dies nisi admissus
Nos transeuntis risus excitat turbæ,
Et ad cubile est Roma: tædio fessis
Domire quoties libuit, imus ad villam.

EPIGRAM. 73.

JUgera mercatus propè busta latentis agelli,
Et malè compactæ culmina fulta casæ,
Deseris

Deſeris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parváque ſub tritæ præmia certa togæ.
Frumentũ, miliũ, ptiſanámq; fabámq; ſolebas
Vendere pragmatic⁹: nunc emis agricola.

C. PLINIUS. *Hiſtor. natur.* Lib. XVIII. cap. II. &c.

ARvorum ſacerdotes Romulus in primis inſtituit, ſeque duodecimum fratrem appellavit inter illos. Bina tunc jugera populo Romano ſatis erant, nullique majorem modum attribuit: Numa inſtituit Deos fruge colere, & molâ ſalſâ ſupplicare, atque (ut auctor eſt Hemina) far torrere, quoniàm toſtum cibo ſalubrius eſſet. Id uno modo conſecutum, ſtatuendo non eſſe purum ad rem divinam, niſi toſtum. Is & Fornacalia inſtituit farris torrendi ferias, & æquè religioſas terminis agro-

rum. Hos enim Deos tunc maximè noverant: Sejamque à ferendo, Segestam à segetibus appellabant: quarum simulacra in Circo videmus. Tertiam ex his nominare sub tecto religio est. Ac ne degustabant quidem novas fruges aut vina, antequàm Sacerdotes primitias libassent.

Jugum vocabatur, quod uno jugo boum in die exararari posset. Actus, in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu justo. Hic erat cxx. pedum: duplicatúsque in longitudinem jugerum faciebat. Dona amplissima Imperatorum ac fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaravisset. Cognomina prima inde, Pilumni, qui pilum pistrinis invenerat: Pisonis, à pisendo: Fabiorum, Lentulorum, Ciceronũ, ut quisque aliquod optimè genus sereret. Juniorum familiæ Bubulcum nominaverunt, qui bubus optimè utebatur. Quin & in sacris nihil re-

ligiosius confarreationis vinculo erat: Novæque nuptæ farreum præferebant. Agrum malè colere, Censorium probrum judicabatur. Atque (ut refert Cato) quem virum bonum Colonum dixissent, amplissimè laudasse existimabant. Hinc & locupletes dicebant, loci, hoc est, agri plenos. Pecunia ipsa à pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis Censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diù hoc solum vectigal fuerat. Multatio quoque non nisi ovium boumque impendio dicebatur: non omittenda priscarum legum benevolentia. Cautum quippe est, ne bovem, priusquàm ovem, nominaret, qui indiceret multam. Ludos boum causâ celebrantes, Bubetios vocabant. Servius rex, ovium boúmque effigie primus æs signavit. Frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pavisse, ac secuisse, puberi XII. tabulis

capitale erat : ſuſpenſúmque Cereri necari jubebant , graviùs quàm in homicidio convictum : impubē Prætoris arbitratu verberari, noxiámq; duplione decerni.

Jam diſtinctio honóſque civitatis ipſius non aliunde erat. Ruſticæ tribus laudatiſſimæ eorum , qui rura haberent. Urbanæ verò , in quas transferri ignominia eſſet , deſidiæ probro. Itaque quatuor ſolæ erant à partibus urbis , in queis habitabant, ſuburrana, Palatina , Collina , Exquilina. Nundinis urbem reviſitabant , & ideò comitia nundinis haberi non licebat , ne plebs ruſtica avocaretur. Quies ſomnúſq; in ſtramentis erat. Gloriam deníque ipſam à farris honore adoream appellabāt. Equidem ipſa etiam verba priſcæ ſignificationis admiror. Ità enim eſt in commentariis Pontificum : Augurio canario agendo dies conſtituantur , priuſquàm frumenta vaginis

exeant, & antequàm in vaginas perveniant.

Ergo iis moribus non modo sufficiebant fruges, nullâ provinciarum paſcente Italiam, verùm etiàm annonæ vilitas incredibilis erat. Manius Marcius Ædilis plebis primum frumentum populo in modios aſſibus donavit. L. Minucius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad aſſem redegit undecimus plebei Tribunus : quâ de cauſâ ſtatua ei extrà portam Trigeminam, à populo ſtipe collatâ ſtatuta eſt. Trebius in ædilitate aſſibus populo frumentum præſtitit : quam ob cauſam & ei ſtatuæ in Capitolio ac Palatio dicatæ ſunt: ipſe ſupremo die populi humeris portatus in rogum eſt. Verùm quo anno Mater Deûm advecta Romam eſt, majorem eâ æſtate meſſem, quàm antecedentibus annis decem, factam eſſe tradunt. M. Varro auctor eſt,

cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse: item vini congios, ficíque siccæ pondo XXX. olei pondo X. carnis XII. Nec è latifundiis singulorum contingebat arcentium vicinos: quippè etiam lege Stolonis Licinij incluso modo quingentorum jugerum, & ipso suâ lege damnato, cum substituta filij persona, amplius possideret. Luxuriantis jam Reipublicæ fuit ista mensura. Manij quidem Curij post triumphos immensúmque terrarum adjectum imperio nota concio est: Perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non essent satis. Hæc autē mensura plebei post exactos reges assignata est.

Quænam ergo tantæ ubertatis caussa erat? Ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri: ut fas est credere, gaudente terrâ vomere laureato & triumphali aratore: sive

illi eadem curâ ſemina tractabant, quâ bella, eademque diligentiâ arva diſponebant, quâ caſtra: ſive honeſtis manib⁹ omnia lætius proveniunt, quoniàm & curioſiùs fiunt. Serentem invenerunt dati honores Seranum, unde cognomen. Aranti quatuor ſua jugera in Vaticano, quæ Prata Quinctia appellantur, Cincinnato viator attulit dictaturam, & quidem ut traditur, nudo, plenóq; pulveris etiamnum ore. Cui viator, vela corpus, inquit, ut proferam Senatus populíque Romani mandata. Tales tum etiàm viatores erant: quod ipſum nomen inditum eſt ſubindè, & ex agris Senatum ducéſque arceſſentibus. At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inſcriptíque vultus exercent: non tamen ſurdâ tellure, quæ parens appellatur, colíque dicitur ipſa: honore his aſſumpto, ùt non invitâ eâ, & indignata, credatur id fieri. Sed

nos miramur ergastulorum non eadem emolumenta esse, quæ fuerint Imperatorum.

Igitur de culturâ agri præcipere principale etiam apud exteros. Siquidem & reges fecêre, Hiero, Philometor Attalus, Archelaus: & duces Xenophon, & Pœnus etiam Mago: cui quidem tantum honorem Senatus noster habuit Carthagine captâ, ut cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, cum jam M. Cato præcepta condidisset: peritísque linguæ Punicæ dandum negotium, in quo præcessit omnes vir clarissimæ familiæ D. Silanus. Sapientes verò complures, quos sequentes prætexuimus in hoc volumine, non ingratè nominando M. Varrone, qui octogesimum primum vitæ annum agens, de eâ re prodendum putavit.

Apud Romanos multò serior vi-

tium cultura esse cæpit. Primóque, ut necesse erat, arva tantùm elucere: quorum nobis ratio nunc tractabitur non vulgari modo, verùm, ut adhuc fecimus, & vetustis, & posteà inventis omni curâ perquisitis, causâque rerum & ratione simul erutâ. Dicemus & sidera, siderúmque ipsorum terrestria signa dabimus indubitata: quandoquidem qui adhuc ea diligentiùs tractavêre, quibusvis potiùs quàm agricolis scripsisse possunt videri.

Ac primum omnium oraculis majore ex parte agemus, quæ non in alio vitæ genere plura certiora sunt. Cur enim non videantur oracula, à certissimo die maximéque veridico usu profecta?

Principium autem à Catone sumemus. Fortissimi viri & milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, miniméque malè cogitantes. Prædium ne cupidè emas; in re rusticâ operæ

ne parcas, in agro emendo minimè. Quod malè emptum eſt, ſemper pœnitet. Agrum paraturos ante omnia intueri oportet aquam, viam, & vicinum. Singula magnas interpretationes habent, nec dubias. Cato in conterminis hoc ampliùs æſtimari jubet, quo pacto niteant: in bonâ enim, inquit, regione benè nitent. Atilius Regulus, ille punico bello bis Conſul, aïebat, neque fœcundiſſimis locis inſalubrem agrum parandum, neque effœtis ſaluberrimum. Salubritas loci non ſemper incolarum colore detegitur, quoniam aſſueti etiam in peſtilentibus durant. Prætereà ſunt quædam partibus anni ſalubria: nihil autem ſalutare eſt, niſi quod toto anno ſalubre. Malus eſt ager, cum quo dominus luctatur. Cato inter prima ſpectari jubet, ut ſolum ſuâ virtute valeat, quâ dictum eſt poſitione: ut operariorum copia propè ſit, oppidúmque vali-

dum : ut navigiorum evectus, vel itinerum : ut benè ædificatus & cultus, in quo falli pleróſque video. Segnitiem enim prioris domini pro emptore eſſe arbitrantur. Nihil eſt damnoſius deſerto agro. Itaquè Cato de bono domino melius emi, nec temerè contemnendam alienam diſciplinam : agróque, ut homini, quamvis quæſtuoſus ſit, ſi tamen & ſumptuoſus, non multùm ſupereſſe. Ille in agro quæſtuoſiſſimam judicat vitem : non fruſtrà, quoniàm ante omnia de impenſæ ratione cavit. Proximè hortos riguos ; nec in falſo, ſi ſub oppido ſint. Et prata antiqui parata dixêre. Idémque Cato interrogatus, quis eſſet certiſſimus quæſtus, reſpondit, ſi benè paſcas : quis proximus, ſi mediocriter paſcas. Summa omnium in hoc ſpectando fuit, ut fructus is maximè probaretur, qui quàm minimo impendio conſtaturus eſſet. Hoc ex locorum occaſione ali-

ter alibi decernitur. Eodémque pertinet, quod agricolam vendacem esse oportere dixit. Fundum in adolescentiâ conserendum sine cunctatione, ædificandum non nisi consito agro: tunc quoque cunctanter: optimum est (ut vulgò dixêre) alienâ insaniâ frui, sed ità, ut villarum tutela non sit oneri. Eum tamen qui benè habitet, sæpiùs ventitare in agrum: frontémq; domini plus prodesse quàm occipitium, non mentiuntur.

Modus hic probatur; ut neque fundus villam quærat, neque villa fundum. Non ut fecerunt juxtà diversis eadem ætate exemplis L. Lucullus, & Q. Scævola, cum villâ Scævolæ fundus careret, villa Luculli agro. Quo in genere Censoria castigatio erat minus arare, quam verrere. Nec hoc sine arte quadam est. Novissimus villam in Misenensi posuit C. Marius septiès Consul, sed

peritia caſtrametandi, ſic ut comparatos ei cæteros etiam Sylla Felix cœcos fuiſſe diceret.

Convenit nec juxtà paludes ponendam eſſe, neque adverſo amne: quamquàm Homerus omnino è flumine ſemper antelucanas auras inſalubres veriſſimè tradidit. Spectare in æſtuoſis locis Septentriones debet, Meridiem in frigidis: in temperatis exortum æquinoctialem. Agri ipſius bonitas, quibus argumentis judicanda ſit, quanquàm de terræ optimo genere differentes abundè dixiſſe poſſumus videri, etiamnùm tamen traditas notas ſubſignabimus, Catonis maximè verbis: ebulum, vel prunus ſilveſtris, vel rubus, bulbus minutus, trifolium, herba pratenſis, quercus, ſilveſtris pirus, malúſque, frumentarij ſoli notæ. Item nigra terra, & cinerei coloris. Omnis creta coquit, niſi permacra: ſabulúmq; niſi id etiàm pertenue eſt: & multò

campeſtribus magis, quàm clivoſis, reſpondent eadem.

Modum agri in primis ſervandum antiqui putavêre: quippè ità cenſebant, ſatius eſſe minùs ſerere, & meliùs arare: quâ in ſententiâ & Virgilium fuiſſe video. Verúmq; confitentibus latifundia perdidere Italiam: Jam verò & provincias. Sex domi ſemiſſem Africæ poſſidebant, cum interfecit eos Nero Princeps: non fraudando magnitudine hac quoque ſuâ Cn. Pompeïo, qui nunquam agrum mercatus eſt conterminum. Agro empto domum vendendam, inclementer, atque non ex utilitate publici ſtatus Mago cenſuit, hoc exordio præcepta pandere ingreſſus, ut tamen appareat aſſiduitatem deſideratam ab eo.

Dehinc peritia villicorum in cura habenda eſt: multáque de iis Cato præcepit. Nobis ſatis ſit dixiſſe, quàm proximum domino corde eſſe debe-

re, & tamen ſibimet ipſi non videri. Coli rura ab ergaſtulis peſſimum eſt, & quidquid agitur à deſperantibus. Temerarium videatur unam vocem antiquorum poſuiſſe, & fortaſſis incredibile penitùs æſtimetur : Nihil minus expedire, quàm agrum optimè colere. L. Tarius Rufus infimâ natalium humilitate, Conſulatum militari induſtriâ meritus, antiquæ aliàs parcimoniæ, circiter millies H-S. liberalitate Divi Auguſti congeſtum, uſque ad detrectationẽ hæredis exhauſit, agros in Piceno coëmendo, colendóque. In gloria internecionem ergo famémque cenſemus? Imò hercules, modum judicem rerum omnium utiliſſimum. Benè colere neceſſarium eſt : optimè, damnoſum, præterquam ſobole, ſuo colono, aut paſcendis. Alioqui colente domino aliquas meſſes colligere non expedit, ſi computetur impendium operæ. Nec temerè oli-

vam: nec quaſdam terras diligenter colere, ſicut in Sicilia, tradunt: itaque decipi advenas.

Quonam igitur modo utiliſſimè colentur agri? Ex oraculo ſcilicet, malis bonis. Sed defendi æquum eſt abavos, qui præceptis ſuis proſpexêre vitæ. Namque cùm dicerent malis, intelligere voluiſſe viliſſimos. Summum providentiæ illorum fuit, ut quàm minimùm eſſet impendij. Præcipiebant enim iſta, qui triumphali denas argenti libras in ſupellectile crimini dabant: qui mortuo villico relinquere, & reverti in ſua rura poſtulabant: quorum prædia colenda ſuſcipiebat reſpublica; exercitúſque ducebant, Senatu illis villicante.

Inde illa reliqua oracula: nequam agricolam eſſe, quiſquis emeret, quod præſtare ei fundus poſſet. Malũ patremfamilias, quiſquis interdiù faceret, quod noctù poſſet, niſi in tempeſtate

tempeſtate cœli. Pejorem, qui pro feſtis diebus ageret, quod feriatis deberet. Peſſimum, qui ſereno die ſub tecto potiùs operaretur, quam in agro.

Nequeo mihi temperare, quo minùs unum exemplum antiquitatis afferàm, ex quo intelligi poſſit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuiſſe, qualiterq; defendi ſoliti ſint illi viri. C. Furius Creſinus è ſervitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis vicinitas, in invidiâ magnâ erat, ceù fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Sp. Albino curuli die dictâ, metuens damnationem, cum in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentũ ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (ut ait Piſo) benè curatam ac veſtitã, ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres

ponderosos, boves saturos. Posteà dixit: venefica mea, Quirites hæc sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliásque & sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est. Profectò, operâ, non impensâ, cultura constat. Et ideò majores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt.

Reliqua præcepta reddentur suis locis, quæ propria generum singulorum erunt. Interim communia, quæ succurrunt, non omittemus. Et in primis Catonis humanissimum utilissimúmque: id agendum, ut diligant vicini. Causas reddit ille: nos existimamus nulli esse dubias. Inter prima idem cavet, ne familiæ malæ sint. Nihil serò faciendum in agricultura omnes censent, iterúmque suo quæque tempore facienda. Ex tertio præcepto, prætermissa frustrà revocari. De terra cariosa exsecratio

Catonis abundè indicata est. Quanquam prædicere non cessat is. Quidquid per asellum fieri potest, vilissimè constat. Filix biennio moritur, si frondem agere non patiaris. Id efficacissimè contingit, germinantis ramis baculo decussis. Succus enim ex ipsâ defluens, necat radices. Aïunt, & circà solstitium avulsas non renasci, nec arundine sectas, aut exaratas vomeri arundine impositâ. Similiter & arundinem exarari filice vomeri imposita præcipiunt. Juncosus ager verti pala debet : at in saxoso bidentibus. Fruteta igni optimè tolluntur. Humidiorem agrum fossis concidi atque siccari, utilissimum est: Fossas autem cretosis locis apertas relinqui : in solutiore terra sepibus firmari, ne procidant : aut supinis lateribus procumbere : quasdam occæcari, & in alias dirigi majores patentioresque : si sit occasio, filice vel glareâ sterni. Ora autem earum

binis utrinque lapidibus ſtatuminari, & alio ſuperintegi. Silvæ extirpandæ rationem Democritus prodidit, lupini flore in ſucco cicutæ unò die macerato, ſparsíſque radicibus.

C. PLINIUS JUNIOR. LIB. I.

CORNEL. TACITO. Epiſt. VI.

RIdebis, & licet, rideas. Ego Plinius ille quem noſti, apros tres, & quidem pulcherrimos, cepi. Ipſe? inquis. Ipſe: non tamen ut omninò ab inertiâ meâ & quiete diſcederem, ad retia ſedebam: erant in proximo, non venabulum aut lancea, ſed ſtylus & pugillares. Meditabar aliquid enotabámque, ut ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Non eſt quod contemnas hoc ſtudendi genus. Mirum eſt ut animus agitatione motúque corporis excitetur. Jam undíque ſylvæ & ſolitudo, ipſúmque

illud ſilentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Proindè cum venabere, licebit autore me, ut panarium & lagunculam, ſic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quàm Minervam inerrare. Vale.

MINUTIO FUNDANO. Epiſt. IX.

MIrum eſt, quàm ſingulis diebus in urbe ratio aut conſtet, aut conſtare videatur, pluribus cunctíſque non conſtet. Nam, ſi quem interroges, *hodiè quid egiſti?* reſpondeat; *officio togæ virilis interfui; ſponſalia, aut nuptias frequentavi; ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in advocationem, ille in conſilium rogavit*. Hæc quo die feceris, neceſſaria; eadem ſi quotidiè feciſſe te reputes, inania videntur, multò magis cum ſeceſſeris. Tunc enim ſubit recorda-

tio, quot dies quàm frigidis rebus absumpsi? Quod evenit mihi postquàm in Laurentino meo aut lego aliquid, aut scribo, aut etiam corpori vaco, cujus fulturis animus sustinetur. Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse pœniteat. Nemo me apud quemquàm sinistris sermonibus carpit; neminem ipse reprehendo, nisi unum me, quum parùm commodè scribo: nullâ spe, nullo timore solicitor, nullis rumoribus inquietor. Mecum tantùm & cum libellis loquor. O rectam syncerámque vitam! ô dulce otium, honestúmque, ac penè omni negotio pulchrius! ô mare, ô littus, verum secretúmque μουσεῖον! quàm multa invenitis, quàm multa dictatis? proindè tu quoque strepitum istum inanémque discursum, & multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque, teque studiis vel otio trade. Satius est enim ut Attilius nos-

ter eruditissimè simul & facetissimè dixit, otiosum esse, quàm nihil agere. Vale.

BEBIO HISPANO. Epist. XXIV.

TRanquillus, contubernalis meꝰ, vult emere agellum quem venditare amicus tuus dicitur. Rogo cures quanti æquum est emat. Ità enim delectabit emisse. Nam mala emptio semper ingrata est, eò maximè quòd exprobrare stultitiam domino videtur. In hoc autem agello (si modo arriserit pretium) Tranquilli mei stomachum multa solicitant, vicinitas urbis, oportunitas viæ, mediocritas villæ, modus ruris, qui avocet magis quàm distringat. Scholasticis porrò studiosis, ut hic est, sufficit abundè tantùm soli, ut relevare caput, reficere oculos, reptare per limitem, unámque semitam terere,

omnésque viticulas suas nosse, & numerare arbusculas possint. Hæc tibi exposui, quò magis scires, quantùm ille esset mihi, quantùm ego tibi debiturus, si prædiolum istud quod commendatur his dotibus, tam salubriter emerit, ut pœnitentiæ locum non relinquat. Vale.

LIBER II.

VALERIANO. Epist. XV.

QUo modo te veteres Marsi tui? quo modo emptio nova? placent agri, postquàm tui facti sunt? Rarum id quidem! nihil enim æquè gratum est adeptis quam concupiscentibus. Me prædia materna parum commodè tractant: delectant tamen, ut materna: alioqui longâ patientiâ obcallui. Habent hunc finem assiduæ querelæ, quod queri pudet. Vale.

Gallo. Epist. xvii.

MIraris cur me Laurentinum, vel (si ita mavis) Laurens meum tantoperè delectet. Desines mirari quum cognoveris gratiam villæ, opportunitatem loci, littoris spatium. Decem & septem millibus passuum ab urbe secessit : ut peractis quæ agenda fuerint, salvo jam & composito die possis ibi manere. Aditur non una via : nam & Laurentina & Ostiensis eodem ferunt, sed Laurentina à quartodecimo lapide, Ostiensis ab undecimo relinquenda est. Utrinque excipit iter aliquâ ex parte arenosum, jumentis paulò graviùs & longiùs, equo breve & molle. Varia hinc atque inde facies. Nam modò occurrentibus sylvis via coarctatur, modò latissimis pratis diffunditur & patescit. Multi greges ovium,

multa ibi equorum boúmque armenta : quæ montibus hyeme depulsâ, herbis & tepore verno nitescunt. Villa usibus capax, non sumptuosa tutela, cujus in prima parte atrium frugi, nec tamen sordidum : deindè porticus in O litterâ similitudinem circumactæ : quibus parvula, sed festiva, area includitur. Egregium hæ adversum tempestates receptaculum: nam specularibus ac multò magis imminentibus tectis muniuntur. Est contrà medias cavædium hilare : mox triclinium satis pulchrum, quod in littus excurrit : ac si quandò Africo mare impulsum est, fractis jam & novissimis fluctibus leviter alluitur. Undique valvás aut fenestras non minores valuis habet : atque ità à lateribus & à fronte quasi tria maria prospectat. A tergò cavædium, porticum, aream; porticum rursus, mox atriũ, sylvas & longinquos respicit montes. Hujus à læva retractiùs paulò cubi-

culum eſt amplum : deindè aliud minus, quod alterâ feneſtrâ admittit orientem, occidentem alterâ retinet. Hæc & ſubjacens mare longius quidem, ſed ſecurius intuetur. Hujus cubiculi, & triclinij illius objectu includitur angulus, qui puriſſimum ſolem continet & accendit. Hoc hybernaculum, hoc etiam gymnaſium meorum eſt. Ibi omnes ſilent venti, exceptis qui nubilum inducunt, & ſerenum antequàm uſum loci eripiunt. Adnectitur angulo cubiculum in apſidâ curvatum, quod ambitum ſolis feneſtris omnibus ſequitur. Parieti ejus in bibliothecæ ſpeciem armarium inſertum eſt, quod non legendos libros, ſed lectitandos capit. Adhæret dormitorium membrum, tranſitu interjacente, qui ſuſpenſus & tabulatus conceptum vaporem ſalubri temperamento huc illúcque digerit & miniſtrat. Reliqua pars lateris hujus ſervorum libertorúmque

usibus detinetur, plerísq; tam mundis ut accipere hospites possint. Ex alio latere cubiculũ est politissimum, deindè vel cubiculum grande, vel modica cœnatio, quæ plurimo sole, plurimo mari lucet. Post hanc cubiculum cum procœtone, altitudine æstivum, munimentis hybernum. Est enim subductum omnibus ventis. Huic cubiculo aliud & procœton communi pariete junguntur. Indè balinei cella frigidaria spatiosa & effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria velut ejecta sinuantur, abundè capacia, si innare in proximo cogites. Adjacet unctuarium hypocauston: adjacet propnigeon balinei: mox duæ cellæ magis elegantes quàm sumptuosæ. Cohæret calida piscina mirificè, ex quâ natantes mare aspiciunt. Nec procul Sphæristerium, quod calidissimo soli, inclinato jam die, occurrit. Hinc turris erigitur, sub quâ diætæ duæ; toti-

dem in ipsâ : prætereà cœnatio, quæ latissimum mare, longissimum littus, amœnissimas villas prospicit. Est & alia turris : in hac cubiculum, in quo sol nascitur conditurque : lata post apotheca & horreum. Sub hoc triclinium, quod turbati maris non nisi fragorem & sonum patitur, eumque jam languidum ac desinentem : hortum & gestationem videt quâ hortus includitur. Gestatio buxo aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur. Nam buxus quâ parte defenditur tectis, abundè viret, aperto cœlo apertóque vento, &, quanquàm longinquâ aspergine maris, inarescit. Adjacet gestationi interiore circuitu vinea tenera & umbrosa, nudísque etiam pedibus mollis & cedens. Hortum morus & ficus frequens vestit : quarum arborum illa vel maximè ferax est terra, malignior cæteris. Hac non deteriore quàm maris facie cœnatio remota à mari fruitur. Cingi-

tur diætis duabus à tergo, quarum feneſtris ſubjacet veſtibulum villæ & hortus alius, pinguis & ruſticus. Hinc cryptoporticus propè publici operis inſtar extenditur. Utrinque feneſtræ, à mari plures, ab horto ſingulæ, & altiùs pauciores. Hæ, quum ſerenus dies & immotus, omnes, quum hinc vel indè ventus inquietus, quâ venti quieſcunt, ſine injuriâ patent. Ante cryptoporticum xyſtus violis odoratus. Teporem ſolis infuſi repercuſſu cryptoporticus auget, quæ ut tenet ſolem, ſic Aquilonem inhibet, ſubmovétque: quantúmque caloris antè, tantùm retrò frigoris. Similiter Africum ſiſtit, atque ità diverſiſſimos ventos alium alio à latere frangit & finit. Hæc jucunditas ejus hyeme, major æſtate. Nam ante meridiem, xyſtum, poſt meridiem geſtationes hortíque proximam partem umbra ſua temperat: quæ, ut dies crevit decrevítque, modò brevior,

modò longior hàc vel illàc cadit. Ipſa verò cryptoporticus tunc maximè caret ſole, quum ardentiſſimus culmini ejus inſiſtit. Ad hoc patentibus feneſtris favonios accipit tranſmittítque: nec unquàm aëre pigro & manente ingraveſcit. In capite xyſti deinceps cryptoporticus, horti diæta eſt, amores mei; revera amores; ipſe poſui. In hac heliocaminus quidem, alia xyſtum, alia mare, utraque ſolem, cubiculum autem valuis, cryptoporticum feneſtra proſpicit. Quâ mare contra parietem medium, diæta per quam eleganter recedit: quæ ſpecularibus & velis obductis reductíſque modò adjicitur cubiculo, modò aufertur. Lectum & duas cathedras capit: à pedibus mare, à tergo villæ, à capite ſylvæ: tot facies locorum totidem feneſtris & diſtinguit & miſcet. Junctum eſt cubiculum noctis & ſomni. Non illud voces ſervulorum, non maris mur-

mur, non tempestatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem sentit, nisi fenestris apertis. Tam alti abditíque secreti illa ratio, quod interjacens andron parietem cubiculi hortíque distinguit, atque ità omnem sonum mediâ inanitate consumit. Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit aut retinet. Procœton inde & cubiculum porrigitur in solem: quem orientem statim exceptum ultrà meridiem, obliquum quidem, sed tamen servat. In hanc ego diætam quum me recipio, abesse mihi etiam à villâ meâ videor, magnámque ejus voluptatem præcipuè saturnalibus capio, quum reliqua pars tecti licentia dierum festísque clamoribus personat. Nam nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt. Hæc utilitas, hæc amœnitas defici-
tur

tur aquâ ſalienti, ſed puteos, ac potius fontes habet. Sunt enim in ſummo: & omninò littoris illius mira natura: quocúnque loco moveris humum, obvius & paratus humor occurrit, íſque ſyncerus, ac ne leviter quidèm tantâ maris vicinitate ſalſus. Suggerunt affatim ligna proximæ ſylvæ: cæteras copias Oſtienſis Colonia miniſtrat. Frugi quidem homini ſufficit etiam vicus, quem una villa diſcernit: in hoc balinea meritoria tria. Magna commoditas, ſi fortè balineum domi vel ſubitus adventus, vel brevior mora calefacere diſſuadeat. Littus ornant varietate gratiſſimâ, nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ præſtant multarum urbium faciem, ſive ipſo mari, ſive ipſo littore utare. Quod non nunquam longa tranquillitas mollit, ſæpiùs frequens & contrarius fluctus indurat. Mare non ſanè pretioſis piſcibus abundat: ſoleas ta-

men & squillas optimas suggerit Villa vero nostra etiam mediterraneas copias præstat, lac in primis. Nam illuc è pascuis pecora conveniunt, si quando aquam umbramque sectantur. Justísne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? quem tu nimis urbanus es, nisi concupiscis: atque utinàm concupiscas! ut tot tantísque dotibus villulæ nostræ maxima commendatio ex tuo contubernio accedat. Vale.

LIBER. III.

CALVISIO RUFO. Epist. XIX.

ASSUMO te in consilium rei familiaris, ut soleo. Prædia agris meis vicina, atque etiam inserta, venalia sunt. In his me multa sollicitant, aliqua nec minora deterrent. Solicitat primùm ipsa pulchritudo

jungendi: deinde, quòd non minùs utile quàm voluptuosum, posse utraque eadem opera, eodem viatico invisere, sub eodem procuratore, ac penè iisdem actoribus habere, unam villam colere & ornare, alteram tantùm tueri. Inest huic computationi sumptus supellectilis, sumptus atriensium, topiariorum, fabrorum, atque etiàm venatorii instrumenti: quæ plurimùm refert, unum in locum conferas, àn in diversa dispergas. Contrà, vereor ne sit incautum, rem tàm magnam iisdem tempestatibus, iisdem casibus subdere. Tutius videtur incerta fortunæ possessionum varietatibus experiri. Habet etiàm multùm jucunditatis soli cœlíque mutatio, ipsáque illa peregrinatio intersita. Jàm, quòd deliberationis nostræ caput est, agri sunt fertiles, pingues, aquosi: constant campis, vineis, sylvis, quæ materiam & ex ea redditum sicut modicum,

ita ſtatum præſtant. Sed hæc felicitas terræ imbecillis cultoribus fatigatur. Nam poſſeſſor prior ſæpiùs vendidit pignora : & dùm reliqua colonorum minuit ad tempus, vires in poſterum exhauſit, quarum defectione rurſùs reliqua creverunt. Sunt ergò inſtruendi complures frugi mancipes. Nam nec ipſe uſquam vinctos habeo , nec ibi quiſquàm ſupereſt. Ut ſcias quanti videantur poſſe emi, ſeſtertio tricies : non quià non aliquandò quinquagies fuerint, verùm & hac penuriâ colonorum & communi temporis iniquitate, ut redditus agrorum , ſic etiàm pretium retrò abiit. Quæris an hoc ipſum tricies facilè colligere poſſimus ? ſum quidèm propè totus in prædiis, aliquid tamen (fœnore) nec moleſtum erit mutuari. Accipiam à ſocru, cujus arcâ non ſecus ac meâ utor. Proinde hoc te non moveat , ſi cætera non refragantur : quæ velim quàm

diligentiſſime examines. Nam cùm in omnibus rebus, tùm in diſponendis facultatibus plurimùm tibi & uſus & providentiæ ſupereſt. Vale.

LIBER. IV.

NASONI. Epiſt. VI.

THUSCI grandine excuſſi, in regione tranſpadana ſumma abũdantia, ſed par vilitas nuntiatur: ſolum mihi Laurentinum meum in reditu. Nihil quidèm ibi poſſideo præter tectum & hortum, ſtatímque arenas: ſolum tamen mihi in redditu. Ibi enim plurimùm ſcribo: nec agrum (quem non habeo) ſed ipſum me ſtudiis excolo, ac jam poſſum tibi, ut aliis in locis horreum plenum, ſic ibi ſcrinium oſtendere. Igitùr tu quoquè, ſi certa & fructuoſa prædia concupiſcis, aliquid in hoc littore para. Vale.

POMPONIO BASSO. Epist. XXIII.

MAGNAM cepi voluptatem quum ex communibus amicis cognovi, te, ut sapientiâ tuâ dignum est, disponere otium & ferre, habitare amœnissimè, & nunc terra nunc mari corpus agitare; multùm disputare, multùm audire, multùm lectitare; quumque plurimùm scias, quotidiè tamen aliquid addicere. Ita senescere oportet virum qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se reipublicæ quandiu decebat, obtulerit. Nam & prima vitæ tempora & media patriæ, extrema nobis impertire debemus, ut ipsæ leges monent, quæ majorem annis 60. otio reddunt. Quando mihi licebit? Quando per ætatem honestum erit imitari istud pulcherrimæ quietis exemplum? Quando

ſeceſſus mei non deſidiæ nomen, ſed tranquillitatis accipient? Vale.

LIBER. V.

APOLLINARI Epiſt. VI.

AMAVI curam & ſolicitudinem tuam, quòd quùm audiſſes me æſtate Tuſcos meos petiturum, ne facerem ſuaſiſti, dùm putas inſalubres. Eſt ſanè gravis & peſtilens ora Tuſcorum, quæ per littus extenditur. Sed hi procul à mari receſſerunt: quinetiã Apennino ſaluberrimo mõtium ſubjacent. Atque adeò, ut omnem pro me metum ponas, accipe temperiem cœli, regionis ſitum, villæ amœnitatem, quæ & tibi auditu & mihi relatu jucunda erunt. Cœlum eſt hyeme frigidum & gelidum, myrtos, oleas, quæque alia aſſiduo tepore lætantur, aſpernatur

ac reſpuit : laurum tamen patitur, atque etiam viridiſſimam profert interdùm, ſed non ſæpiùs, quàm ſub urbe noſtra necat. Æſtatis mira clementia. Semper ac ſpiritu aliquo movetur, frequentiùs tamen auras quàm ventos habet. Hinc ſenes multos videas avos proavóſque. Jam juvenum audias fabulas veteres, ſermonéſque majorum : quùmque veneris illò, putes alio te ſæculo natum. Regionis forma pulcherrima : imaginare amphitheatrum aliquod immenſum, & quale ſola rerum natura poſſit effingere. Lata & diffuſa planities montibus cingitur : montes ſummâ ſui parte procera nemora & antiqua habent. Frequens ibi & varia venatio : inde cæduæ ſylvæ cum ipſo monte deſcendunt : has inter pingues terreníque colles (neque enim facile uſquàm ſaxum, etiam ſi quæratur, occurrit :) planiſſimis campis fertilitate non ce-

dunt, opimámque messem seriùs tantùm, sed non minùs percoquunt. Sub his per latus omne vineæ porriguntur, unamque faciem longè latéque contexunt: quarum à fine imóque, quasi margine arbusta nascuntur: prata inde, campíque. Campi, quos non nisi ingentes boves & fortissima aratra perfringunt, tantis glebis tenacissimum solum quùm primùm prosecatur, assurgit, ut novo demum sulco perdometur. Prata florida & gemmea, trifolium, aliásque herbas, teneras semper & molles, & quasi novas alunt. Cuncta enim perennibus rivis nutriuntur. Sed ubi aquæ plurimum, palus nulla: quia devexa terra quicquid liquoris accepit, nec absorbuit, effundit in Tiberim. Medios ille agros secat: navium patiens, omnésque fruges devehit in urbem, hyeme duntaxàt & vere: æstate summittitur, immensíque fluminis nomen arenti

alveo deſerit, autumno reſumit. Magnam capies voluptatem, ſi hunc regionis ſitum ex monte proſpexeris. Neque enim terras tibi, ſed formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictam videberis cernere. Eâ varietate, eâ deſcriptione, quocunque inciderint oculi, reficiuntur. Villa in colle imo ſita proſpicit quaſi ex ſummo, ita levitèr & ſenſim clivo fallente conſurgit, ut quum aſcendere te non putes, ſentias aſcendiſſe. A tergo Apenninum, ſed longiùs habet. Accipit ab hoc auras quamlibèt ſereno & placido die, non tamen acres & immodicas, ſed ſpatio ipſo laſſas & infractas. Magnâ ſui parte meridiem ſpectat, æſtivúmque ſolem ab hora ſexta, hybernum aliquanto maturiùs, quaſi invitat in porticum latam & pro modo longam. Multa in hac membra, atrium etiàm ex more veterum. Ante porticum xyſtus conciſus in plurimas ſpecies,

diſtinctúſque buxo, demiſſus indè pronúſque pulvinus, cui beſtiarum effigies invicem adverſas buxus inſcripſit. Acanthus in plano mollis, & penè dixerim liquidus. Ambit hunc ambulatio preſſis variéque tonſis viridibus incluſa : ab his geſtatio in modum circi, quæ buxum multiformem humiléſque & retonſas manu arbuſculas circumit. Omnia maceriâ muniuntur : hanc gradata buxus aperit & ſubtrahit. Pratum indè non minùs natura quàm ſuperiora illa arte, viſendum : campi deinde porro multaque alia prata & arbuſta. A capite porticus triclinium excurrit, valvis xyſtum deſinentem, & protinùs pratum multúmque ruris videt feneſtris. Hac latus xyſti & quod proſilit villæ, ac adjacentis hyppodromi nemus comáſque proſpectat. Contra mediam fere porticum diæta paulum recedit, cingit areolam, quæ quatuor platanis inum-

bratur. Inter has marmoreo labro aqua exundat, circumjectásque platanos, & subjecta platanis gramina leni aspergine fovet. Est in hac diæta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem sonúmque excludit: junctaque ei quotidiana amicorúmque cœnatio. Areolam illam porticus alia, eademque omnia quæ porticus aspicit. Est & aliud cubiculum à proxima platano, viride & umbrosum, marmore exculptum podio tenus: nec cedit gratiæ marmoris, ramos, insidentésque ramis aves imitata pictura, cui subest fonticulus: in hoc fonte crater, circà sipunculi plures miscent jucundissimum murmur. In cornu porticus amplissimum cubiculum à triclinio occurrit: aliis fenestris xystum, aliis despicit pratum. Sed ante piscina, quæ fenestris servit ac subjacet, strepitu visúque jucunda. Nam ex edito desiliens aqua, suscepta marmore albescit. Idem cu-

biculum hyeme tepidissimum, quià plurimo sole perfunditur. Cohæret hypocauston, &, si dies nubilus, immisso vapore, solis vicem supplet. Indè apodyterium balinei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in quâ baptisterium amplum atque opacum. Si natare latiùs aut tepidiùs velis, in area piscina est, in proximo puteus, ex quo possis rursus astringi si pœniteat teporis. Frigidariæ cellæ connectitur media, cui sol benignissimè præsto est, caldariæ magis: prominet enim. In hac tres descensiones: duæ in sole, tertia à sole longiùs, à luce non longiùs. Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. Nec procul à balineo scalæ, quæ in cryptoporticum ferunt, priùs ad diætas tres. Harum alia areolæ illi, in quâ platani quatuor, alia prato, alia vineis imminet diversis, diversásque

cœli partes, ac proſpectus habet. In ſumma cryptoporticu cubiculum, ex ipſa cryptoporticu exciſum, quod hyppodromum, vineas, montes intuetur. Jungitur cubiculum obvium ſoli maximè hyberno. Hinc oritur diæta, quæ villæ hyppodromum adnectit. Hæc facies, hic viſus à fronte. A latere æſtivo cryptoporticus in edito poſita, quæ non aſpicere vineas, ſed tangere videtur. In media triclinium ſaluberrimum afflatum ex Appenninis vallibus recipit: poſt latiſſimis feneſtris vineas, valvis æquè vineas, ſed per cryptoporticum quaſi admittit. A latere triclinii, quod feneſtris caret, ſcalæ convivio utilia ſecretiore ambitu ſuggerunt. In fine cubiculum, cui non minus jucundum proſpectum cryptoporticus ipſa quam vineæ præbent. Subeſt cryptoporticus ſubterraneæ ſimilis, æſtate incluſo frigore riget: contentaque aëre ſuo nec deſiderat auras nec

admittit. Poſt utrámque cryptoporticum, unde triclinium deſinit, incipit porticus: antè medium diem, hyberna, inclinato die, æſtiva. Hac adeuntur diætæ duæ, quarum in alterâ cubicula quatuor, alterâ tria, ut circuit ſol, aut ſole utuntur aut umbrâ. Hanc diſpoſitionem amœnitatémque tectorum longè latéque præcedit hyppodromus, medius pateſcit, ſtatimque intrantium oculis totus offertur, platanis circuitur. Illæ hederâ veſtiuntur, útque ſummæ ſuis, ita imæ alienis frondibus virent. Hedera truncum & ramos pererrat, vicináſque platanos tranſitu ſuo copulat, has buxus interjacet. Exteriores buxos circumvenit laurus, umbræque platanorum ſuam confert. Rectus hic hyppodromi limes, in extrema parte hemicyclo frangitur, mutatque faciem: cupreſſis ambitur & tegitur, denſiore umbrâ opacior nigriórque: interioribus

circulis (ſunt enim plures) puriſſimum diem recipit. Inde etiam roſas effert, umbrarúmque frigus non ingrato ſole diſtinguit. Finito vario illo multiplicíque curvamine, recto limiti redditur, nec huic uni. Nam viæ plures intercedentibus buxis, dividuntur. Alibi pratulum, alibi ipſa buxus intervenit in formas mille deſcripta, literis interdum quæ modò nomen domini dicunt, modò artificis: alternis metulæ ſurgunt, alternis inſerta ſunt poma: & in opere urbaniſſimo ſubdita velut illati ruris imitatio medium in ſpatium brevioribus utrínque platanis adornatur. Poſt has, acanthus hinc inde lubricus & flexuoſus, deinde plures figuræ, pluráque nomina. In capite ſtibadium candido marmore, vite protegitur. Vitem quatuor columellæ Caryſtiæ ſubeunt. E ſtibadio aqua velut expreſſa cubantium pondere ſipunculis effluit, cavato lapide ſuſcipitur,

pitur, gracili marmore continetur, atque ita occulte temperatur ut impleat, nec redundet. Guſtatorium graviorque cœnatio margini imponitur, levior navicularum & avium figuris innatans circuit. Contrà fons egerit aquam & recipit: nam expulſa in altum in ſe cadit, junctiſque hiatibus & abſorbetur & tollitur. E regione ſtibadii adverſum cubiculum tantùm ſtibadio reddit ornatus, quantùm accipit ab illo. A marmore ſplendet, valvis in viridia prominet & texit: Dehinc alia viridia ſuperioribus inferioribuſque feneſtris ſuſcipit deſpicitque. Mox diætula refugit quaſi in cubiculum idem atque aliud. Lectus hîc & undique feneſtræ, & tamen lumen obſcurum umbrâ premente. Nam lætiſſima vitis per omne tectum in culmen nititur & aſcendit. Non ſecus ibi quàm in nemore jaceas: imbrem tantum tanquam in nemore non

ſentias. Hîc quoque fons naſcitur, ſimulque ſubducitur. Sunt locis pluribus diſpoſita ſedilia è marmore, quæ ambulatione feſſos ut cubiculum ipſum juvant. Fonticuli ſedilibus adjacent, per totum hyppodromum inductis fiſtulis ſtrepunt rivi, & quâ manus duxit, ſequuntur. His nunc illa viridia, nunc hæc, interdum ſimul omnia juvantur. Vitaſſem jamdudum ne viderer argutior, niſi propoſuiſſem omnes angulos tecum epiſtola circumire. Neque enim verebar ne laborioſum eſſet legenti tibi, quòd viſenti non fuiſſet, præſertim quum interquieſcere ſi liberet, depoſitâque epiſtolâ, quaſi reſidere ſæpiùs poſſes. Præterea indulſi amori meo. Amo enim quæ maxima ex parte ipſe inchoavi, aut inchoata percolui. In ſumma (cur enim non aperiam tibi vel judicium meum vel errorem?) primùm ego officium ſcriptoris exiſtimo, ut titu-

lum ſuum legat, atque identidem interroget ſe quid cœperit ſcribere: ſciatque, ſi materiæ immoratur, non eſſe longum: longiſſimum, ſi aliquid accerſit atque attrahit. Vides quot verſibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Æneæ, Achillis ille, deſcribat: brevis tamen uterque eſt, quià facit quòd inſtituit. Vides ut Aratus minutiſſima etiam ſidera conſectetur & colligat, modum tamen ſervat. Non enim excurſus hic ejus, ſed opus ipſum eſt. Similiter nos, ut parva magnis conferamus, quum totam villam oculis tuis ſubjicere conamur, ſi nihil inductum & quaſi devium, loquimur, non epiſtola quæ deſcribit, ſed villa quæ deſcribitur magna eſt. Verùm illuc undè cœpi, ne ſecundum legem meam jure reprehendar, ſi longior fuero in hoc quòd exceſſi. Habes cauſas cur ego Tuſcos meos Tuſculanis, Tyburtinis Præ-

nestinisque meis præponam. Nam super illa quæ retuli, altius ibi otium & pinguius, eoque securius, nulla necessitas togæ, nemo accersitor ex proximo. Placida omnia & quiescentia: quòd ipsum salubritate regionis, ut purius cœlum, ut aër liquidior accidit: ibi animo, ibi corpore maximè valeo. Nam studiis animum, venatu corpus exerceo. Mei quoque nusquam salubrius degunt, usque adhuc certè neminem ex iis quos eduxeram mecum (venia sit dicto) ibi amisi. Dii modò in posterum hoc mihi gaudium, hanc gloriam loco servent. Vale.

PONTIO Epist. XV.

PRÆVERTOR ad ea, quæ me, agentem hîc, nuntius deprehendit. Eram cum prosocero meo, eram cum amita uxoris, eram cum

amicis diu desideratis ; circumagebam agellos ; audiebam multum rusticarum querelarum : rationes legebam invitus & cursim (aliis enim chartis, aliis sum litteris initiatus) cœperam etiam itineri me præparare. Nam includor angustiis commeatus , eoque ipso , quòd delegatum Cornuto audio officium , mei admoneor. Cupio te quoque sub idem tempus Campania tua remittat , ne quis, quum in urbem rediero , contubernio nostro dies pereat. Vale.

MARCO. Epist XVIII.

BENE est mihi , quia tibi benè est. Habes uxorem tecum , habes filium. Frueris mari , fontibus viridibus , agro , villa amœnissima : neque enim dubito esse amœnissimam in quâ se composuerat homo , felicior antequam felicissimus fieret.

Ego in Tuſcis & venor & ſtudeo, quæ interdum alternis, & interdum ſimul facio: nec tamen adhuc poſſum pronuntiare, utrum ſit difficilius capere aliquid an ſcribere. Vale.

LIBER. VII.

PRÆSENTI. Epiſt. III.

TANTANE perſeverantiâ tu modo in Lucania, modo in Campania? ipſe enim (inquis) Lucanus, uxor Campana. Juſta cauſa longioris abſentiæ, non perpetuæ tamen. Quin ergo aliquando in urbem redis? ubi dignitas, honor, amicitiæ tam ſuperiores quam minores. Quouſque regnabis? Quouſque vigilabis quum voles? dormies quandiu voles? Quouſque calcei? nuſquam toga feriata: liber totos dies? Tempus eſt, te reviſere moleſtias noſtras, vel hoc ſolum, ne voluptates iſtæ ſatietate langueſcant.

Saluta paulisper, quo sit tibi jucundius salutari: terere in hac turba, ut te solitudo delectet. Sed quid imprudens quem revocare conor, retardo? Fortasse enim his ipsis admoneris, ut te magis ac magis otio involuas; quod ego nō abrumpi, sed intermitti volo. Ut enim si cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miscerem, ut obtusus illis & oblitus stomachus his excitaretur; ita nunc hortor, ut jucundissimum genus vitæ nonnullis interdum quasi acrioribus condias. Vale.

Liber IX.

Romano. Epist. VII.

ÆDificare te scribis, benè est. inveni patrocinium. Ædifico enim jàm ratione, quia tecum. Nam hoc quoque non dissimile, quod ad mare tu, ego ad Larium lacum. Hu-

jus in littore plures villæ me, ſed duæ, ut maximè delectant, ita exercent. Altera impoſita ſaxis, more Bajano, lacum proſpicit: altera, æquè more Bajano, lacum tangit. Itaque illam tragœdiam; hanc, appellare comœdiam ſoleo: illam, quod quaſi cothurnis, hanc, quod quaſi ſocculis, ſuſtinetur. Sua utrique amœnitas, & utramque poſſidendi ipsâ diverſitate jucundior. Hæc lacu propiùs, illa latiùs utitur: hæc unum ſinum molli curvamine amplectitur, illa editiſſimo dorſo duos dirimit: illîc recta geſtatio longo limite ſuper littus extenditur, hîc ſpatioſiſſimo xyſto leviter inflectitur: illa fluctus non ſentit, hæc frangit: ex illa poſſis deſpicere piſcantes, ex hâc ipſe piſcari, humanúmque è cubiculo, ac penè etiam lectulo, ut è naviculâ, jacere. Hæ mihi cauſæ utrique quæ deſunt aſtruendi, ob ea quæ ſuperſunt. Sed quid ego rationem tibi, apud quem

pro ratione erit, idem facere? Vale.

FALCONI. Epist. XV.

REFUGERAM in Tuscos, ut omnia ad arbitrium meum facerem: at hoc ne in Tuscis quidem: tam multis undique rusticorum libellis, & tam querulis inquietor; quos aliquantò magis invitus quàm meos lego. Nam & meos invitus. Retracto enim actiunculas quasdam: quod, post intercapedinem temporis, & frigidum, & acerbum est. Ratiocinationes, quasi absente negliguntur. Interdum tamen equum conscendo, & patrem familiæ hactenus ago, quod aliquam partem prædiorum, sed pro gestatione, percurro. Tu consuetudinem serva, nobísque sic rusticis urbana acta perscribe. Vale.

VENATORI. Epist. XX.

IPSE cùm maximè vindemias, graciles quidem, uberiores tamen quam expectaveram, colligo; si colligere est, nonnunquam decerpere uvam, torculum invisere, gustare de lacu mustum, obrepere urbanis, qui nunc rusticis præsunt, méque notariis & lectoribus reliquerunt. Vale.

FUSCO. Epist. XXXVI.

QUÆRIS quemadmodum in Tuscis diem æstate disponam. Evigilo quùm libuit, plerúmque circa horam primam, sæpè ante, tardiùs raró: clausæ fenestræ manent. Mirè enim silentio & tenebris animus alitur. Ab iis quæ avocant abductus,

& liber; & mihi relictus, non oculos animo, ſed animum oculis ſequor, qui eadem quæ mens, vident, quoties non vident alia. Cogito ſi quid in manibus, cogito ad verbum ſcribenti, emendantíque ſimilis: nunc pauciora, nunc plura, ut vel difficilè, vel facilè componi, tenerive potuerunt. Notarium voco, &, die admiſſo, quæ formaveram dicto; abit, rurſúſque revocatur, rurſúſque remittitur. Ubi hora quarta, vel quinta (neque enim certum dimenſúmque tempus) ut dies ſuaſit, in xyſtum me vel cryptoporticum confero; reliqua meditor & dicto; vehiculum aſcendo. Ibi quoque idem quod ambulans aut jacens. Durat intentio, dein ambulo, mox orationem græcam latinamve clare & intente, non tam vocis causâ quàm ſtomachi, lego: pariter tamen, & illa firmatur. Iterum ambulo, ungor, exerceor, lavor. Cœnanti mi-

hi, ſi cùm uxore, vel paucis, liber legitur: poſt cænam, comœdi aut lyriſtes: mox cum meis ambulo, quorum in numero ſunt eruditi. Ita variis ſermonibus veſpera extenditur, &, quanquàm longiſſimus dies citò conditur. Nonnunquam ex hoc ordine aliqua mutantur. Nam ſi diù tacui, vel ambulavi, poſt ſomnum demum lectionemque, vehiculo, ſed (quod brevius, quià velocius) equo geſtor. Interveniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad ſe trahunt, interdumque laſſato mihi opportunâ interpellatione ſubveniũt. Venor aliquando: ſed non ſine pugillaribus, ut quamvis nihil ceperim, nonnihil referam. Datur & colonis (ut videtur ipſis) non ſatis temporis, quorum mihi agreſtes querelæ litteras noſtras & iſtæc urbana opera commendant. Vale.

FUSCO. Epist. XXXX.

SCRIBIS, pergratas tibi fuisse literas meas, quibus cognovisti quemadmodum in Tuscis otium æstatis exigerem: requiris quid ex hoc in Laurentino hyeme permutem. Nihil, nisi quod meridianus somnus eximitur, multúmque de nocte, vel ante, vel post diem sumitur: &, si agendi necessitas instat, quæ frequens hyeme, non jam comœdo vel lyristæ post cœnam locus; sed illa quæ dictavi, identidem retractantur, ac simul memoriæ frequenti emendatione proficitur. Habes æstate, hyeme consuetudinem: addas huc licet autumnum, quæque inter hyemem æstatemque media, ut nihil de die perdunt, ita de nocte parvulum acquirunt. Vale.

LIBER X.

TRAJANO IMP. Epist. XXIV.

AGRORUM enim, quos in eâdem regione possideo, locatio cum alioqui cccc. excedat, adeò non potest differri, ut proximam putationem novus colonus facere debeat. Prætereà continuæ sterilitates cogunt me de remissionibus cogitare: quarum rationem, nisi præsens, inire non possum. Debebo ergo, domine, indulgentiæ tuæ, & pietatis meæ celeritatem, & statuarum ordinationem, si mihi ob utraque hæc dederis commeatum xxx. dierum. Neque enim angustius tempus præfinire possum, cum & municipium & agri, de quibus loquor, sint ultra centesimum & quinquagesimum lapidem.

POEMATA VETERA DIVERSORUM.

EPITECTUS.

HUjus Nympha loci ſacri cuſtodia fontis
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.
Parce meum, quiſquis tangis cava marmora, ſomnum
Rumpere, ſive bibas, ſive lavere, tace.

PENTADIUS.

PArvula ſecuro tegitur mihi culmine ſedes,
Uvaq; plena mero fœcundâ pendet ab ulmo.
Dant rami ceraſos: dant mala rubentia ſylvæ:
Palladiumq; nemus pingui ſe vertice frangit.
Jam quâ deductos potat levis area fontes,
Coricyum mihi ſurgit olus, malvæq; ſupinæ,
Et non ſollicitos miſſura papavera ſomnos.

Si verò alitibus fraudem contexere opertam;
Seu magis imbelles libuit circumdare cervos,
Aut tereti lino pavidum ſubducere piſcem :
Hos tantum novere dolos mea ſordida rura.
I nunc & vitæ fugientis tempora vende
Divitibus cœnis. Me ſi manet exitus idem,
Hic precor inveniar, conſumptaque tempora
poſcar.

VOMANUS *de laudibus hortuli.*

ADeſte Muſæ, maximi prolès Jovis.
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus ſalubres corpori præbet cibos :
Varioſque cultus ſæpè cultori refert :
Olus ſuave, multiplex herbæ genus :
Uvas nitentes atque fœtus arborum.
Non deſit hortis & voluptas maxima:

Multiſque miſta commodis jucunditas.
Aquæ ſtrepentis vitreus lambit liquor:
Sulcoque ductus irrigat rivus ſata.
Flores niteſcunt diſcolore gramine,
Pinguntque terras gemmeis honoribus.
Apes ſuſurro murmurant gratæ levi,
Cum ſumma florum, vel novos rores legunt.
Fœcunda vitis conjuges ulmos gravat,
Textaſve inumbrat pampinis arundines.
Opaca præbent arbores umbracula,
Prohibentque denſis fervidum ſolem comis.
Aves canoros garrulæ fundunt ſonos:
Et ſemper aures cantibus mulcent ſuis.
Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoque mœſto demit angores graves.
Membris vigorem reddit, & viſum capit.
Refert labori pleniorem gratiam.



Tribuit colenti multiforme gaudium.

AVIENUS.

RUre morans quid agam, respondi pauca, rogatus.
Mane Deum exoro, famulos post arvaque viso,
Partitusque meis justos indico labores.
Inde lego, Phœbumque cio, Musamq; lacesso.
Tunc oleo corpus fingo, mollique palestrâ
Stringo libens animo gaudensque ac fœnore liber,
Prădeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco.

AUTORIS INCERTI.

MORETUM.

HOrtus erat junctus casulæ, quem vimina pauca,
Et calamo redimita levi munibat arundo:

Exiguus ſpatio, variis ſed fertilis herbis,
Nil illi deerat quod pauperis exigit uſus.
Interdum locuples à paupere plura petebat.
Nec ſumptus erat illud opus, ſed regula curæ.
Si quando vacuũ caſula pluviæve tenebant,
Feſtave lux, ſi forte labor ceſſabat aratri,
Horti opus illud erat, varias diſponere plãtas
Norat, & occultæ committere ſemina terræ,
Vicinoſque aptè cura ſummittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betæ;
Fœcunduſque rumex, malvæque, inulæque virebant.
Hic ſiſer, & capiti nomen debentia porra.
Hic etiam nocuũ capiti, gelidumq; papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latũ demiſſa cucurbita ventrem.
Verum hic non Domini (quis enim contractior?)

Sed populi proventus erat, notiſque diebus
Venales humero faſces portabat in urbem,
Inde domum cervice levis, gravis ære redibat,
Vix unquã urbani comitatus merce macelli:
Cæpa rubens, ſectiq; famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus naſturtia morſu.

AUSONII VILLULA. *Edyl.* 3.

SAlve herediolum majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi jam ſenior, properatâ morte relinquit,
Heu nolueram tam citò poſſe frui.
Juſta quidem ſeries patri ſuccedere: verùm
Eſſe ſimul dominos, gratior ordo piis.
Nunc labor, & curæ mea sũt. Sola ante voluptas

Partibus in nostris. Cætera patris erant.
Agri bis centum colo jugera. Vinea centum
Jugeribus colitur, pratáque dimidium:
Sylva supra duplum quam prata, & vinea, & [aruum.
Cultor agri nobis nec superest, nec abest.
Fons propter, puteúsque brevis, tum purus & [amnis.
Naviger hic refluus me vehit, ac revehit.
Conduntur fructus geminum mihi semper in [annum.
Cui non longa penus, huic quoq; promp- [ta fames.
Hæc mihi nec procul urbe sita est, nec pror- [sus ad urbem:
Ne patiar turbas, utque bonis potiar.
Et quotiens mutare locum fastidia cogunt,
Transeo: & alternis rure, vel urbe fruor.

BOETHIUS *de Consol. Phi.* Lib. II. METRUM. V.

FOELIX nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu:
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

VENERUNT aliquando rosæ proh! veris amœni
Ingenium, una dies ostendit spicula florum,
Altera piramidas nodo majore tumentes,
Tertia jam calatos, totum lux quarta peregit
Veris op⁹, pereunt hodie nisi manè leguntur.

POGGII *Epistola de laude ruris.*

SI unquam mihi antea rei rusticæ cura & vita exercitio dedita jucunda visa est & suavis, nunc his paucis diebus quibus in solo natali vixi, procul à curiæ molestiis consti tutus jucundissimam & suavissimam j u dicavi, dulcis otii, honesti negocii & modestæ voluptatis plenam. Cognovi enim hoc vivendi genus, quod multi præclari viri posthabitis rerum civilium fluctibus elegerunt, esse maximè expectendum, cum in eo vitam quietam, liberam, honestam, frugalitati conjunctam agere valeamus, ut non mirer Horatii Flaci ruris vivendi, cum in urbe esset, cupiditatem. Qui scribens ad Mecœnatem:

O rus, inquit, *quando ego te aspiciam, vel quando licebit*

Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis

Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ?
Et certe si qua virtuti & litteris vacandi via est, hanc profecto esse constat, remotam à vitiis, & honestati propinquam. Neque vero eam existimo tantum à doctissimis quidem viris rei rusticæ scriptoribus laudatam, quantum dignitas ejus & merita erga humanum genus postulare videntur. Nam ut omittam quas utilitates ex agricultura percipimus, ut non recenseam quæstus uberrimos quos largitur, quanta voluptas & quies ruris, quanta curarum remissio, quanta naturalis oblectatio, quanta virtus in ejus vitæ ratione versatur. Hæc est sola naturæ hominum, usuique præcipue accommodata, quæ omnia ad victum cultumque nostrum spectantia suppeditat nobis ac subministrat. Hæc est quæ semota à tempestatibus civilis insaniæ, tanquam ex quâdam speculâ cæteros veluti naufragantes despicit & contemnit. Hæc procul à

malis vitiorum exemplis, relictis fori & contentionum jurgiis, ſibi ſoli vacat, & bonæ menti. Hæc ſpretis ſupervacaneis cupiditatibus contemptâ omni ambitione neque ſuperflua cupit, neque abutitur quæſitis. Hæc populari curâ & vulgi honoribus nihili penſis, honeſto fruitur ocio & omni tranquilitate, quæ rariſſimè aſſequuntur qui urbana tractant, & vulgi plauſum quærunt. Hæc eſt vere Philoſophandi dux, in qua & rerum ſecreta rimari licet, & bonos mores facile amplecti. Hæc bonis, hæc ſapientibus, hæc doctis viris, hæc regibus, atque Imperatoribus digna exercitatio. Cyrus Perſarum rex, ille à Xenophonte celebratus, gloriari ſolitus eſt, hortum ſuis manibus conſertum, & arbores in ordinem poſitas. Diocletianus depoſitis Imperii inſignibus, in villa Salone agriculturæ detinebatur ſtudio, ut hæc ſola res veram quietem, à curis ſuperfluis vacationem

largiri hominibus videatur. Hanc vitam cum multi egregiè laudarint, Cicero noſter in oratione pro Roſcio omnium laudes meo judicio ſuperare videtur, qui eam parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ eſſe magiſtram tradit, maximéque disjunctam à cupiditate, & officio conjunctam. Quæ laus haud ſcio an in aliam vitam recte poſſit conferri. Plures excellentis doctrinæ viri, ut philoſophandi ſtudio & bonarum artium prævestigationi facilius penitúſque poſſent vacare, relictis urbibus ſe rus in vitam privatam contulerunt, ubi dies ſuos ſummâ in quiete & honeſto otio tranſegere. Multos vero civitatum gubernaculis inhærentes, civilis tempeſtas ad ſcopulos alliſit. M. Tullius civilem vitam privatæ anteponit, laudátque eos qui ad gubernandam rempublicam acceſſerunt. At ipſi Demoſtheni, multíſque aliis eloquentiſſimis viris, ſatius fuiſſet nullas reipublicæ partes attri-

gisse. Quamvis talis eloquentia Ciceronem in tantâ Imperii magnitudine, & in tantâ amplitudine honoris facile suámque sententiam tueri potest, cum ea quemvis egregium ingenio hominem queant incendere, & erigere ad laudis & gloriæ appetitionem. Multum enim pollet in civitatibus vis dicendi, & ingenii laus; sed multi sudores, labores plurimi, vita anxia proposita sunt ejusmodi viris, & varii fortunæ casus. Ego autem cui senescenti quies & otium cordi est, degentem ruri commendo, & eum præsertim qui à cura rei rusticæ ad litteras tamquam in arcem animi posset confugere. Neque ego nunc rusticana aut fodiendi, aut arandi, aut plantandi, proprio sudore opera subeunda nobis censeo. Non etiam sum Serranus, aut Cincinnatus qui ab aratro ad Senatum accersebantur. Non sum Scipio ille superior Africanus, quem Linterni exulantem agrum suis ma-

nibus coluiſſe Seneca ſcribit. Manus enim meæ aptiores ſunt calamo, quàm operæ ruſticanæ. Sed commendo vitam quietam quâ rure vivitur, curam laudo rerum ruſticarum, conſerendi, plantandique ſolertiam, laborem levem, qui corpus paulum exerceat, atque corroboret: probo victus modeſtiam, integritatem vitæ, remiſſionem animi, quæ eſt vera ratio philoſophandi. Non enim illic degentem rerum urbanarum ſtrepitus, & ſollicitudo anxia premit, non curioſitas ſupervacua noſcendi mentem ſollicitat, non quicquid ubique terrarum agitur indagamus. Non curis ſuperfluis abrumpitur ſomnus, non peſtilens invidia, non livor edax fraudem proximo machinatur, non ſcelerum officinæ, quæ errant urbibus ad mala facinora impellunt, non ſexcenta alia, quæ civilis & occupata vita nequit effugere. Sed dulcis ac ſecura quies, vita frugi, & otium of-

ficio plenum omnibus honoribus ac dignitatibus præferendum. Hanc vitam fidentius apud te extollo, quem ſcio ſæpius rus tanquam in portum ex civili inundatione confugere, delectarique admodum culturâ villæ, ac ſtudio plantandarum, tum conſerendarum arborum detineri, digno ſanè docto, liberoque homine exercitio. Hortarer te ad eam vivendi normam, ſi aut res tua, aut tempora paterentur; attamen ſi frequenter hos quibus neceſſario implicaris civiles tumultus linieris jocunditate atque amœnitate ruris, & te in libertatem animi, quam etiam legendo otioſus acquires, quandoque vendicaris cognoſces vivere aliquando te tibi, & tempus id tuum eſſe, quod aut in remiſſionem curarum ruri colendo impenderis, aut contuleris ad ſtudia literarum, quæ eſt maxima omnium & honeſta voluptas ac præ cæteris appetenda. *Vale, Flor.*

JUSTI LIPSII. *Epistola* VIII. *Centur.* I.

MAGNUM, sed amicum mihi dissidium tecum est, de agro, deque urbe. Tu istam præfers, ego illum, & rationes mihi, nisi fallor, magis firmæ. Quas quoniam herè inter differendum leviter libavimus, visne hâc epistolâ (otium enim & libentia mihi) promam accuratiùs, & diducam tibi per partes? Scio velle. Aurium tantùm, ut sic dicam, vacuas ædes mihi apperi : & admitte, sodes, peregrinantem veritatem. Agrum & in eo cultum, meliorem urbe esse aio, ad sapientiam, ad mores, ad voluptatem : addo & fructum. De sapientia : non negabis, quin illîc, aptior ad eam animus, ubi is liberior, & magis sui juris, talis autem in agris est. Opida vise & adi : non effugies,

quin unà tumultus, procellas, turbas. Circumstrepent enim te subitò res hominesque, & negotium tibi, non solùm tua negotia facient, sed aliena. Ut difficile est in convivio lauto & opiparo solum esse siccum & sobrium: sic vacuum, inter tot occupatos. Ille ad sponsionem te trahet, & ad forum: ad nuptias alius & ad templum. In ipsa via clamores alibi & lites: pugna non nullibi & arma, & mox judex, lictor, carcer. Domum ipsam tuam cùm veneris: ne in secretum venisse te cense, aut penetrale irrumpent ecce salutatores, invisores, & nomine amicorum quidam fabulas imò epulas captantes. Hos nullum limen submovet, nullum velum: & per omnes rimas involant importunæ illæ muscæ. Inter ista & inter istos, quis libris liber locus? Quis cogitationibus? sine quibus an ulla legitima ad sapientiam exercitio, aut via sit, haud equidē cerno. Et tamen fac

te felicem aut fortem : otium aliquod in ipsâ urbe diu luctatus tibi vindices : nego id liberum , firmum , aut aptum animo vegetando. Spernit enim naturâ suâ includi cælestis ille ignis , & aërem amat ac campos. Ut generosas feras cavea domat & frangit : sic altas mentes urbicus ille carcer. Equum ad cursum apertus & liber circus provocat : animum ad studia , vagans , vacansque aura. Silvam illam viridem videt ? hic carmen avet , aut hymnum Deo pangere. Horti illam purpuram ? hic cum libellis suis decumbere. Aquæ illud murmur ? ad eam altiori cogitatione abjici. Et nocte ipsâ aut sub eam , pictum illud , patensque cœlum eum capit : & inter tot stellas errantes , aut inerrantes , à curis terrisque erro , mente scandet super illas. Adde quòd hìc altum securúmque otium : nemo qui appellet , aut interpellet : & amicissima semper studiis solitudo

&

& quies. Vides igitur quæ in hac parte ager ante urbem habeat: nec vanè à Columella ſcriptum, *vitam ruſticam proximam, & quaſi conſanguineam ſapientiæ eſſe*. Quòd ſi nunc ad vitam me vocas, & ad mores: bonâ fide, utrubi, te quoque judice, illa innocentior, & hi puriores? Veritas exprimet tibi quòd in agris. Oculos paulisper conjice in magna illa & commerciis crebra oppida: mentior, niſi ambigas cætus illic hominum, an confluges vitiorum. Adfert enim ſeorſum quiſque ſuas culpas: quas mixti vulgant, & velut contage, tradunt invicem, capiuntque morbos animorum. Quin ut flumina per ſe dulcia, cùm in mare venerint, ſaleſcunt: ſic homines haud mali, ex agris in urbem redacti, tactu inquinantur & mixtione. Illic enim ambitio, avaritia, libido propriè habitant: & fons omnium vitiorum, depudere. Cui origo, non negabis, ex

crebro illo inter ſe adſpectu occurſúque. Itaque prudentes olim legiſlatores, & qui ſemina jecêre boni ſtatus, cives ſuos plurimum ab urbe & conventibus abductos, habere voluerunt in agris: quos ad probitatem, modeſtiam, robur, gymnaſium cenſuêre & palæſtram. Romulus ille æterni auctor imperii, in duas claſſes cùm civem diviſiſſet, ſervos ac liberos: iſtis duo tuntùm ſtudia militiæ & agri dedit; illis artes reliquas, quæ ad Mercurium & ad lucrum. Ita enim eſt. Mercatura & quidquid artium ad opes ducit, ducit ad vitia: nec animum ſolùm emollit & effœminat (verè Saluſtio dictum) ſed corpus. Quis vires & viros unquam in opidis quæſivit, aut invenit? adeò vetus illud verum in omni gente & ævo eſt, *optimum militem legi ex agris*. Parthi olim belli potentes: ſed in tuguriis oberrantes. Germani: ſed priuſquam urbes

coluiſſent. Turcæ hodie : ſed minimùm dediti in amœnitatibus opidorum. Quin illud ipſum Genitſerorum agmen, jure terror orbis, non ex agris ſolùm, ſed pœnè dicam haris collectum, & mapalibus paſtorum. Nam Romanos tibi quid ingeram? Curios & Fabricios noſti ſerentes, occantes : Quinctios arantes, & dictaturam induentes : & uno verbo; non milites ſolùm ab agris, ſed duces. De moribus ergo vides. qui ſi uſquam, etiam hodie priſci integrique quærendi ſint, veſtigia reperies in agris. Ubi apud ſe quiſque : & ideò pudor, innocentia, ſimplicitas manet, & vita malarum fraudium, artiúmque expers. Sed quid poſſim in hac parte magis verè, magis ampliter dicere, quàm Hippolytus illud apud Senecam? quem, quæſo te, audi.

Non alia magis eſt libera & vitio carens

Rituſque melius vita quæ priſcos colat.

Quam quæ relictis mœnibus campos amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia, non fragilis favor,
Non ille regno servit, aut regno imminet
Spei metusque liber.

& adde plura pulcherrimi cothurni, quæ omitto: ad voluptatem enim transeo: quæ tamen hîc tam obvia, ut indigner super eâ moveri mihi litem. Elementa omnia intueor? vim suam, usúmque palam, & toto, ut ita loquar, sinu in hoc rure nostro effundunt: obscurè & parciter in tuâ urbe. Solem vide: melius hîc nitet. Ærem: lætius latiúsque diffunditur & ridet. Aquas: puriùs bibuntur. Terram: hîc tantum cernitur in vero suo vultu. Alibi in planitiem effusè porrigitur, alibi in collem placidè adsurgit, aut magis rigidè in montem.

Illîc herbis & spontè natis arbustis vestitur, hîc fruge fructibusque, & feliciore ligno. Quem non delectet tam varius adspectus & cultus magnæ matris? cujus apud vos una facies ædibus pressæ aut pavimentis. Jam domum si venisti, hîc prorsus gaudiorum & amœnitatis vera sedes. Manè surrexisti? ad musicam quidem, & circumsonant te ac velut salutant chori illi alitum suaviter fritillantium, trutilantium, minurientium: ad quos non æquiparant se tibiæ, citharæ, aut ex arte ulli cantus. In hortum prospexisti? oculorum aciem tibi præstringet illa ipsâ nocte exortum agmen florum & herbarum. In pratum? occurrent vere novo arbores odorâ quâdam & canâ nive persperſæ, eædémque sub autumnum, aliâ pomorum purpurâ sive certa distinctæ. Propius easdem adspice, insitiones mirabere & matrimonia: adulteria etiam & suppositos fœtus, insciâ matre nec

invitâ. Quam laſcivam comprehenſionem fœcunditatemque quiſquis in ligno non miratur, ipſe profecto lignum. Jam ad agros divertiſti, & tua rura? Illîc boves lentè paſcuntur & oberrant: hîc pecudes magis vagè laſciviunt & hœdi. Porcus alibi volutatur & grunnit: alibi criſtata cohors cugurrit & ſcalpit. Segetes illîc tuas vides, & ſiliginis, farris hordei uberes faſces: ſilvam iſtic, & ad hyemem lignorum ſtrues. Vitem denique alibi florentem aut matureſcentem: & ſpe jam præbibis ſacrum illum alibilémque liquorem. Quorum omnium quæ copia in urbe ſit? quin ne imago quidem ſatis certa & expreſſa. Sed ut ii qui parietem intuentur, ex levi linearum ductu, animalia in eo & facies ſibi fingunt, ſic vos harum rerum futiles quaſdam umbras. Ita vivitis in pulcherrimo hoc mundo, mundi exules, nec bona aut dona ejus plenè unquam noſtis. Poſtremùm fructus

mihi ſupereſt, de quo, quid ambigimus? cùm non ſolùm cultus & ornatus plerúſque vitæ ab agris ſit, ſed vita ipſa. Agricultio enim moriatur, & unà humanum genus. Adde illa commoda, agnum aut hœdum à ſtabulo, pullum è corte, porcum ab harâ, & tot dapes inemptas! quas vos ægrè & carè præſtinatis à foro aut macello. Quòd ſi opes omnino quæris & aurum, rideo ego & ſperno, & tamen ſi quis hæc quoque ambiat, non alibi parandorum uberior materia & ſeges. Non palatia, non fora, non fœnora plures ad opes evêxere, quàm beati iſti agri, & addo rei caput, quòd tutò euexêre, quòd citò, quòd innocenter. Thales ille olim anno uno divitias amplas corrogare potuit, emptu proſpero omnium olivarum: & viro provido ſapientíque non hodie idem fas, in ſegete, pecude, ſilvâ? ſed de his quia non libenter, nec ampliter quidem diſſero: & mitto te, ſi

voles, ad veteres rei rusticæ scriptores, à quibus disciplinam eam petas. Nam ego fastidio, sicut & illud, quod crebrò ac pertinaciter mihi objicis de dignitate. Dignitatem ea mansio non habet, inquis: imò nec pietatem, quia patriam is desertum. Dignitatem? me judice, amplam: qui Reges & Principes fuisse scio in hac parte. An illud dignius, in foro latrare, tribunal sive aulam lambere, fastum in æquales, adulationem in superiores exercêre: quàm sapientiæ sacrum colere, naturæ opes lustrare & promere, denique placidè vivere, placidè mori? Nam de patriâ, quid ais? in hac confusione rerum ad clavum ego sedeam: ubi nemo auditurus, non nemo etiam irrisurus rectè gubernantem sit? Sæculum hoc paulisper vide. Quo noxæ integritas, contumeliæ pudor, ludibrio fides est, & aude suadere ut iis præsim, quibus, hoc ipsum (pœne dicam) ægrè mihi est, quod inter-

intersim. Concludens voveo, ut procul ab undoso illo urbium mari, in hoc tranquillo & rurestri portu quiescam & consenescam: ubi Deum inprimis piè puréque venerer, deinde sapientiæ studia & Musarum tractem, & quidquid propriè ad usum aut cultum animorum. Ubi classica nulla aut tubas audiam, ubi coruos aulæ aut fori non videam: sed modestè tranquilléque mihi & mecum victitem, expers ambitionis & pallentium curarum. Cumque ultimus ille & decretorius dies venerit, spiritum hunc sine metu, sine motu, emitam: & apud notos ignotosque memoriam mei relinquam bonam potius, quàm magnam. Habes quæ pro agro, in agro scripsi. Quæ si approbas, tandem etiam hoc institutum meum: neu ultrà commovendum me cense ex beatâ istâ sede. Ita Deus beatum aliquando te faciat, cum uxore liberisque: quos saluto. In Iscano meo 3. Kal. Octobris, 1575.

Carmen ecce etiam adjunxi, quod eidem argumento, calore isto effudi.

LAUS ET VOTUM VITÆ BEATÆ.

ILLE est par superis Deis,
Et mortalibus altior,
Qui fati ambiguum diem
Non optat levis, aut timet.
Quem non ambitio impotens,
Non spes sollicitat lucri:
Quem non concutiunt metu
Regum præcipites minæ,
Non telum implacidi Jovis.
Uno sed stabilis loco,
Vulgi ridet inania:
Securóque oritur dies,
Securò cadit & dies.

Vitam ſi liceat mihi
Formare arbitriis meis:
Non faſces cupiam aut opes,
Non clarus niveis equis
Captiva agmina traxerim.

In ſolis habitem locis,
Hortos poſſideam atque agros,
Illic ad ſtrepitus aquæ
Muſarum ſtudiis fruar.

Sic cum fata mihi ultima
Pernêrit Lacheſis mea;
Non ulli gravis aut malus,
Qualis Langius hic meus,
Tranquillus moriar ſenex.

FINIS,

W

